BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 C
21

H 2-1.

14.18. e 10

Digitized by Google

PHILOSOPHIA
AMPHISCIA

Digitized by Google

PHILOSOPHIA AMPHISCIA,

Ex Arist. Democritiq. mente illustrata,

Et in sex Tomos digesta.

Studia Patritiæ Juventutis,

Communi Doctorum Criterio,

In Gymnasijs D.M. Salutis Venetiarum

Disputationis gratià,

exhibita.

TOMUS PRIMUS

Continens Rationalem.

AVCTORE

D. FRANCISCO CARO

C. R. Somascho.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Venetiis nutu Superiorum,

Aloysio Pavino Typographo.

M. DC. XCIII.

AVCTOR
LECTORI SUO.

PEripatetica Doctrina, ijs etiam notis emendata; quibus ab initio ſcatebat (nec enim Auctorem habuit ab omni errore immunem)

nem) detecta est magis metaphysica, quàm vera Naturæ, ac genuina investigatrix. Etenim si hæc esset, cùm Natura sit verè una, constans, & nunquam diversa, ipsa etiam scientia ejus, minimè tam varia, tam dissona, tam ubique discors inveniretur. Hinc ortum est, ut quicunque Aristoteli sese addixit, acutior sanè abscedat, non tamen rerum scius, quæ sunt, sed auctor earum, quas meditando ipse suo Marte confingit. Scimus autem, in hoc tam vasto Gymnasio eum non satis erudiri, quem suæ tenent angustiæ, numquam eò egressum, quò vocant hæc astra, hæc meteora, hæc vegetantia, hæc sensitiva, hæc humana, hæc demum terræ, aquæ, ignis, aerisque vicissitudo. A quibus cùm omnino abstineant, qui uno tanguntur acuminum studio,

dio, ea nobis incèdit mens, ut Aristoteli Democritum quoquè jungamus, utrinque hausturi, & ingenij aciem, & physicam Naturæ sciendæ rationem.

Adhuc tamen non me fugit, quàm Doctrina hæc nostra sit mansura in umbris, ideoque *Amphisciam* vocare non injustum videbatur. Cœterùm in hujusmodi re danda erit cuique venia, si aut nesciat, aut etiam erret. Non enim incurià hominum, qui sagaces nonnunquam sunt; sed ex mero abditæ Naturæ ingenio, aut nescitur, aut erratur. Ego medius fidius negotium hoc ita tractavi, ut sim ubique conatus veritatem sectari, quam in domesticis etiam concertationibus à Doctorum *Criterio* nanciscebar. Utrùm vero id bene contigerit, omnino in dubio sum; conscius, quantum vocis, ac

stre-

ſtrepitus habeant hodierni congreſſus, quàmque fructus exiguum. Hoc unum ſcio, meas mihi ſententias non tam hæſiſſe, ut quaſdam non abegerim (quoties agnovi non eſſe tutas) inter diſputandum. Cujus rei quàm juvet eſſe ſtudioſum, ij ſatis oſtendunt, qui ne à ſuis minimùm recederent, nunc etiam in exordiis conſiſtunt; hoc eſt in antiquà eà Phyſices pueritià, quæ nondum in tanta ætate adolevit.

Sex autem Tomis rem meam exhibeo, hiſque omnino contractis, ut ſi cœtera non probes, hoc ſaltem boni referas, quòd me inventurus es non diù moroſum, atque hinc non injucundum. Aut enim arridebunt iſta; & ſic longitudo non adimet gratiam: aut erunt inviſa; & ita brevitas minuet faſtidium.

Porrò

Porrò non inconſultus in Codicis Fronte adjeceram *Studia Iuventutis* : Ut ſcias , omnia deſtinari Novitiis , quæ in manibus Doctorum erubeſcerent . Hinc ad eos jugiter ſermo ; hinc domeſticus verborum vſus ; hinc ſanæ nonnunquam arguitiones ; hinc etiam non invrbana vellicatio : ut nimirum diſcant horrere ſcomata , & ſtygmata , quibus cædendi eſſent , quoties aut otij , aut incuriæ in re Phyſicà tractandà non ſuppuderet.

Quoniam verò Ariſtotelis dogmata hìc adinvenies non omnia probata , caveas rogo exiſtimes , tantum Virum, Numenquè à nobis temni ; ferèac neſciamus , quàm acutè , quàm ſcitè , quàm ingeniosè ſua emiſerit : quot eum Academiæ , quot Gymnaſia , quot Doctores veneren-

rentur, & colant: quæ scribat in Ethicis, quæ in Oratoriis, quæ in Poeticis, quæ in Physicis: quanta ei danda sit venia, cùm in rebus, quæ à Fide Christiana scientiam desiderabant, aut hæserit dubius, aut etiam erraverit.

Potiùs ea non æstimamus, quæ tanto Magistro affingunt nescioqui suorum, dum ejus verba & commentantur ex arbitrio, & distorquent à sensu, & obtenebrant. Usqueadeo sanè, vt *Auctorem*, à quo dicunt scire omnes, quasi exosum reddiderint: non minùs ac faciat Nocturnum hoc sidus, cùm Soli, vnde nitet, objectu suo creat vmbram, donec nobis venustissimum jubar etiam extinguat.

Ordo autem, quo tota Doctrina conficitur, satis constabit ex initio cujusque Tomi;
ad

ad quem, ne jam acta reagam, te mi bone hinc remitto, & valebis.

D. Ioan-

D. Io: Hieronymus Zanchius Præpositus Generalis Congreg. Somaschæ R. P. D. Francisco Caro Salutem.

CUm Opus inscriptum *Philosophia Amphiscia*, à R. P. D. Francisco Caro, nostræ Congregationis Sacerdote Professo compositum, aliàs recognitum fuerit, & in lucem edi post probatum, Tenore præsentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, videbitur, ac servatis servandis. In cujus rei fidem hasce litteras dedimus, ac nostro Sigillo munivimus.

In Collcg. nostro S. M. Salutis Venetiarum 5. Idus Maii Anno 1693.

D. Jo: Hieronymus Zanchius Præp. Generalis Congreg. Somaschæ.

D. Leonardus Bonettus à Secr.

PHI-

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

Prima Pars Docens.

PRÆLUDIUM.

HOmo, quamvis in rerum Genesi novissimus omnium conditus à Deo sit, primus tamen esse censetur, cui exornando Summus Artifex, attentiori quadam curà, studioquè incubuerit. Rectus ille corpore, venustus ore, structurà sensuum concinnus, non in ventrem uti bruta factus, aut iners, erigit sese, atque ad sidera conversus,

nutu, verbo, & linceſſu dignum Auctore ſuo Prodigium emerſit. Verùm, quod miraberis; hæc eadem ſui venuſtas demere venuſtati; ornatus hic ornatui detrahere; mira hæc ſtructuræ fabrica nocuiſſe homini etiam videtur. Enimverò tam mira, & erudita eſt, quæ humano in corpore conſonat harmonia ſenſuum, ut ea dignitas vitium ſibi quodammodo faciat. Quod enim in Stromatibus edixerat Alexandrinus de vitreo cratere; ob artem *eſſe paratiorem ad frangendum*, hoc etiam contingere videmus in homine, cui æquè obnoxia eſt fabricæ ſuæ concinnitas, & elegantia. Inde oritur, ut

Nos aper auditu, nos vincat aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu.

Nam quæ intus latitat, *magnoque ſe corpore miſcet* Anima, quædam invenit organa in brutis, quæ aut magis affabrè, aut ſolidiùs compacta, magis etiam ad vitæ actiones inſerviunt. Quid ergo, ait Seneca, ep. 124. *vires corporis alis, & exerces? pecudibus iſtas majores, feriſquè natura conceſſit. Quid excolis formam? Cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris, &c. Rationale animal es. Quid ergo in te bonum eſt? Perfecta ratio*. Eam ob rem non curam in ijs noſtram collocemus oportet, ad quæ cùm fuerimus etiam conati,

tì, à quovis bruto evincimur; sed omne studium, robur, & ingenium in animi culturam conferamus. Eo prædítus homo, tanquam insitâ Divinitatis notâ se à cæteris omninò discrevit, super omnia evexit, Deoque consimilis, inferiora hæc, & mundana in sui seruitium adduxit. Cœterùm quæ iniquè affecit Protoparentem nostrum peccati lues, heu quantam humanæ menti affudit umbram! ut parùm abfuerit, quin homo suà dejectus à dignitate in miserrimæ naturam bestiæ statim repserit. Quæ tamen damna ut sarcirent veteres Adami Nepotes, nonnihil subsidij commenti sunt; Logicæ nimirum documenta, quæ rationi rectitudinem affingerent suam, & nobiliorem hominis partem reformarent. Hæc ea fax est, quæ discussit errorum tenebras; hæc regula, unde iter constitit ad veritatem; hęc *manus contracta*, quæ dilabentem bonæ mentis rectitudinem postremò tenuit.

Sed tamen haudquaquam desunt noctuæ, quæ oderunt Solem. Adhuc ferit aures eorum rumor, qui Logicam sic proscindunt convitijs, ut novercam dicant, ore trucem, nutu minacem, verbo rigidam, quæ Juvenes à blando egressos litteraturæ humanioris gremio, premat, sauciet, fastidio necet. Inde arbitror factum, ut lectissimà Ju-

venum Pubes, quæ in ſtudijs etiam avet ſuaviùs tractari, cœteris quibuſque diſciplinis imbuendam ſe tradat; ſit frequens ad Poeſeos lyram; ephæbum adeat Apollinem, qui garriens, qui nitidus, qui ludivagus eſt; in verborum culturà patiens; in dicendi veneribus ardens; unam horreat, quæ armatam ſe obiicit Palladem, hoc eſt *Rationem*, ſummo de capite reſilientem. Quamobrem, & juvenibus non raró contingit quod Claudianus in Æthna monte adnotarat, vbi

pars cætera frondet
arboribus; teritur nullo cultore cacumen.

Quid verò ſi vobis Amonius occurrat Juppiter? Ille ſanè undique ornatus. Auream gerit linguam, gemmato nitet pectore, ſuaves trahit purpuræ flores: verumtamen *caput habet Arietis*. Echo etiam conſona eſt. Audis, quàm reddat clamorem? quàm efferat? quàm ingeminet? Sed *vocem ſine mente gerit*. Anaximenes quoquè oratorem ſe dictitat. Exundat loquentià, periodos agit, verborumquè torrentem emittit. Utinam tamen plus haberet mentis, quàm guttam! Hæc dixerim, Auditores Jucundiſſimi, ut qui hucuſque magiſtro diſertiſſimo rhetoricam navaſtis operam, Logicæ quoquè ſtudiis, unde robur, energia, vigor omnis,

nis, & imperium in Eloquentiam Reginam dimanat, curam æquè attentam collocetis. Doctissimum in arte pictoria Xeusim imitemini velim. Hic etiam nitidè colores ducit, gratias consequitur, flores inspergit, nec Veneres dedignatur. Cœterùm sua in tabula *plus intelligi vult, quàm pingatur*. Adsit vestra in oratione plus animi, quàm coloris, & fuci, verbisque ratio logica substernatur. Sic eloquentiam non inani ornamento pictam, sed *mente*, omnino *tinctam* referetis; quæ tandem Veneto in Senatu vivida, efficax, animorum suada triumphet.

Quod verò mei muneris est, non quibusque Logicæ professoribus morem geram; ijs maximè, qui nimio ducuntur amore acuminum, lentàquè comminiscendi curà detriti, miserrimè terere dies videntur. In eo totus ero, Auditores mei, ut subsidia constituam, quibus dignior animę pars, hoc est intellectus tanquam inductà face regatur, omissisquè ad fastum inventis quæstionum rixis minùs acutam profitebor mentem, sed quæ Doctorum judicia fortè sit habitura. Si quid erit inutile, omissum faciam; si quid arduum, meis pro viribus exæquabo; si quid nimis extensum, ita res agam, ut brevitas nocere claritati non queat. Deus interea, cujus opem enixè flagito, hisce

adsit , ut exorientem ad nova studia *Venetæ Pubis Florem* ad suavissimum scientiæ, doctrinæquè fructum Logica Magistra erudiat.

Porrò eum ante cœteros evasurum existimo in eruditum , qui se ad omnem effinget bene moratæ vitæ, pietatis, honestatisque normam. Quique ut ait Cic.2. Tusc. *est ita moratus , ita animo, ac vita constitutus, ut ratio postulat. Qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putat . Qui obtemperat sibi, & decretis suis paret.*

LOGICÆ TOTIUS OECONOMIA.

IVverit autem initiò proponere, quonam debeat ordine Logica nostra distribui, ut memoriæ simul, ac novitiorum captui consulatur . Bifariam ergo secabitur. Altera pars erit *Docens*, in qua dabuntur aliquæ notiones de ortu, progressu, & fine Logicæ ; qui est viam menti sternere ad verum . Sed quia multi errores ab eo nos removent, quinam hi sint , & qua ratione tolli queant , dicetur. Hoc facto tanquam aditu, intellectus non ægrè ad suas exit actiones. Inter quas cùm statim occurrat *Apprehensio*, de hac instituetur tracta-

ctatio. Mox de *Iudicio*, quæ secunda est. Postremò de *Discursu*, quæ tertia. Sed hoc ea lege, ut singulis operationibus instrumenta subijciantur sua, quibus ritè formari queant. Et hanc Partem universim dicunt esse *Summulas*, nimirum Logicæ totius compendium. Claudet verò brevior tractatus de methodo, qua potissimùm cujusque rei veritatem consequi valeamus.

Addetur isti secunda Pars, quæ cùm soleat ingenia in scholasticam educere pugnam, ut magis ad acumina vigeant, meritò etiam consuevit vocari *Logica disputatrix*. De hac igitur primò statuetur in ordine ad se: mox in ordine ad suum objectum: tertiò in ordine ad scientias, in quarum consecutione maximas illa fert suppetias. Et quia scientiæ omnes ad eum omnino finem utuntur arte logicà, ut unaquæque ritè apprehendat obiectum suum, ritè judicet, ritè ratiocinetur, idcirco trinam hanc humanæ mentis actionem excogitabimus, Apprehensionem, Iudicium, ac Ratiocinium, sivè Discursum; non ut dirigantur (nam hoc à Docente factum est) sed circa eas moraturi, meditando naturam, & virtutes earum. Quandoquidem verò discursus mente habitus, ac ritè formatus generat scientiam, de hac etiam non inscitè dicemus. Et cùm ea, quæ sci-

scimus, externà voce ostendantur, circa voces quoquè immorabimur; in iisquè Logica nostra, quæ tota sermo est, non incongruè dabit finem.

PRIMA LOGICÆ PARS.

Prænotiones de illius origine, ac progressu.

QVatuor omninò requirit Arist. 2. Post.c.1. ad exactam cujusque rei explicationem. *An sit; Quid sit; Qualis ea sit; Cujus gratia sit*. Imprimis ergo nemini erit multum curæ insumendum, quærendo an nobis Logica insit. Nam quemadmodum Cœli, ac Siderum existentiæ si quis adstruat fidem, ea potiùs digito indicare solet, quàm argumento; ita innotuit clariùs, quàm probatione indigeamus, hominem suà naturà vigere, apprehensione, judicio, discursu; itaut quæ velit, cogitet; quæ cogitatu attigerit, judicet; quæ judicio noverit, in discursum trahat; probet, suadeat, convincat, unoquè ratiocinij jure suum latè dominium protendat. Ex quo satis constat, hanc Logicam, quæ naturæ tota est, Protoparenti nostro extitisse coævam, & iisdem mundi cunis adolevisse receptam.

Aliqua

Aliqua dumtaxat suboriri dubitatio poterit de ortu Logicæ artificialis, cui subiicitur & scripta. Eam igitur si quis dixerit Adamo fuisse à Deo infusam, non abibit à vero; cùm ille ut inter omnia præstantissimus esset, universà donatus fuerit scientiarum encyclopedià. Ab Adam fluxit in posteros, non integra tamen, sed ex peccato diminuta, eàque vsus fuit Primogenitus Cain, dum patrati à se criminis ut pœnam eluderet, astu quodam, & non sine arte verba miscebat. Cujus rei argumento sunt duæ illæ tanti nominis antiquæ columnæ, marmorea, & lateritia, quibus ut scribit Iosephus 1. antiq. 3. mathematicæ artes circa diluvij tempora incisæ fuerunt. Nec enim hujusmodi scientias callere poterant, absq. Logicę subsidio, quam sibi attẽtissimo, sæpiusq; adhibito mentis cogitatu perfecerint.

Quoniam verò, quæ miserrimè incubuit diluvij tempestas, totam, seu saniorem dialecticæ partem naufragio mersit, nova ejus restitutio facta est: vtq. scribit Iustinus Martyr, à Noè primùm Armenis tradita (nam subductis diluvij aquis, hæserat Armeniæ montibus Arca) mox in Ægypti Magos divulgari cæpit, qui eà nisi fuissent muniti, haud quaquam jactarent in Laertio, *Geometriam* se invenisse, *Arithmeticā*, & *Astronomiam*. Magos Ægyptios non paucæ

nationes aliæ, maximè verò Græci adnavigarunt, qui ab eorum commercio certiori quadam ratiocinandi methodo satis eruditi, confestim ad omnem sapientiæ gloriam consurrexerunt. A Græcis autem orbe ferè toto Logica divagata est, quod speciatim refert Lactantius in 3. cap. 25. de Barbaris: nam inter eos unum invenit Anacarsin Scytham, qui *etiam*, inquit, *philosophiam ne somniasset quidem, nisi & linguam, & Græcas litteras ante didicisset*.

In Græciam igitur adsportata Dialectica, magis, magisque condiscebatur; & primus omnium Zeno Eleates fuit, qui eam chartis consignarit. Cujus rei assertores Aristotelem invenies in Empyrico 2. adver. Logic. & in Parmenide Platonem. Quamobrem si penes Laertium audieris, Logicæ scriptæ inventionem tribui à Phavorino Platoni, hoc ei credendum arbitrabere, quatenus eam non primò invexit, sed tantùm adauxit. Sic dum Averroes refert Aristoteli, ut æquè Logicæ, Physicæ, ac Metaphysicæ Auctor, & perfector extiterit, hoc totum intelligas de majori augmento, & venustiùs addita methodo, quà Logicalia præcepta in suum organum secrevit, ac miro concinnitatis ordine modulatus est.

Prima ergo Logicæ scriptæ gloria de-

debetur Zenoni Eleati, cujus eruditio in ejus quoquè Auditoribus mirùm eluxit: maximè verò in Coriario Simone Atheniensi, de quo apud Laertium 2. memoratur emisisse Dialogos *circa ratiocinium*; In Crito Socratis perfamiliari, qui de cognoscendo, ac discendo, & *quid sit scire*, scripsit; In Euclide Megarensi, qui Megaricorum condidit Sectam; in Platone, qui Sophistas acriter dialogis exagitavit, finemque Dialecticæ in eo situm esse dixit 6. & 7. de Rep. ut menti à pravis emendatæ cogitationibus, germanam scientiam inducat. A Platone duo ij famosi extitere Discipuli, Xenocrates, & Aristoteles, qui contexendi syllogismi artem, præter cætera in vulgus dedit. Non quia id etiam antiquiores Mystæ nescierint. Minùs enim congruè diceres Geometram aliquem in arte metiendi rudem, ex eo quòd eam chartis non consignaverit.

Nullius autem, perinde ac Aristotelis, monumentum Dialecticæ durat. Ea si quidem ab Andronico Rhodio suum in ordinem quàm venustè digesta, mirè placuit Græcis, Alexandro, Themistio, Simplicio, Amonio, & cœteris, in quorum scriptis adusque Latinos devenit, eamque D. Augustinus, Boetius, Apulejus, & innumeri receperunt. Deinde cùm scientiæ,

quæ annos circiter quadringentos inter obstrepentia Genserici, Attilæ, Barbararumquè Gentium arma conticuerant, audiri cœperint; atque in uno Caroli Magni gremio, quæ frigebant artes, confoveri; denuò viguit etiam Logica, & acerrimos nacta patronos, Albertum Magnum, D. Thomam, Scotum, OKamum, cœterosquè, Scholasticorum invasit cathedras, & sui tanquam juris theatrum eas regali coturno etiam calcat.

Verùm quando uni Aristoteli major hominum, atque Doctorum pars religiosissimè adhæsit, non nemo tamen fuit, quem ferè suppuduit ejus auctoritati se ita mancipare, ut non liceret novam excudere Dialecticam. Enimverò tercentis ab hinc annis Raymundus Lullus; ab hinc ducentis Laurentius Valla novos benè ratiocinandi canones excogitarunt. Et nostro sæculo Franciscus Baco à Verulamio, Renatus Carthesius, vir summi nominis in Gallia; Petrus Gassendo, eruditionis, & ingenij gloria, recentioribus in Logicorum Senatu sancitis legibus, maxima subsidia florentibus hac ætate studijs attulerunt.

Quid

Quid Logica sit.

VT res quæcunque notior fiat, ea maximè utilis est ratio, ut dicebamus, inquirere Quid ea sit. Neque in Logica erit hoc ardui negotij, si nomina ejus, definitio, & causæ huc ordine suo repetantur. Age igitur quoad nomina. Solent hæc à Rhetorum usque metaphoris gratiora peti, ut artium Reginæ suus odor inhaletur, & fucus. Eam dixit nonnemo cynosuram rationis, oculum mentis, ingenij facem, animæ linguam, Philosophiæ manum, quà præditus homo errores caveat, mentem acuat, umbras arceat, emendatè ratiocinetur, & ferè manu quadam rerum *scientias pulcherrimarum* teneat. Sed alia magis accommoda sunt, ex quibus genuina Logicæ facies, omni remoto fuco, exporrigatur. Ea enim dicitur a Græco nomine *Logos*, quod sermonem, sive orationem renunciat. Nam revera disciplina est, quæ secretum in anima discursũ intuetur, ejusq. directioni advigilãs, omni enititur curà, ut eum bene conformatum in externo sermone, non minùs atque imaginem in speculo exhibeat, quemadmodum ait Plato in Theæteto. Rursus à verbo græco *Dialegome*, quod sonat disputationem, con-

consuevit vocari Dialectica. Etenim hujusce regulis imbuti cùm simus, non ægrè serimus verba, & eruditâ quæstionum rixà libenter usi, unà tamen gradimur ad veritatem. Præterea solet vocari *Organum*, sive instrumentum; quia logicà methodo humanam regimus rationem, ut appositè, scienter, & congruè sermones in animo efformemus. Epicurei, Democritei, aliiquè *Canonicam* dixerunt. Eò nimirum quòd canones cudit, sive præcepta, quibus, ut adolescens Magistri manu ad bonas characterum imagines, ita mens ad suarum actionum rectitudinem expeditur. Aristoteles denique vocat *Modum sciendi*: nam nemo scire videtur, nisi per Logicam, quæ scientiis omnibus famulitio cùm sit, communi etiam usu obtinuit, ut novitiis in hac arte juvenibus prælegatur. Et exinde unicuique concessum est eam definire *Artem ritè discurrendi*: Traditur enim naturali sermoni, ne hic offendat in errores, & prolabatur.

Sed non minùs juvant, ut cognoscatur quid Logica sit, ejus causæ, quæ omninò quatuor deprehenduntur. Prima *efficiens*, & hæc mens est humana, ratiocinandi actuum effectrix. Secunda *materialis*, hoc est mens eadem, quatenus eosdem in semet recipit. *Formalis* tertia; nimirum recta eorum-

dem

dem actuum ſtructura, ſeu diſpoſitio. Quarta *Finalis*, & eſt veritas, ad quam enixiſſimè Dialectica ſudat.

Qualis Logica ſit.

QVia nonnihil conducit in cujuſque rei cognitionem, circumtueri, qualis ea ſit, ſeu quibus contingat qualitatibus exornari, haudquaquam tædeat nos quædam hìc prælibare de Logicæ virtutibus, ut inde magis natura illius cognoſcatur. Hæ verò ſatis hauriri poterunt, ſi quo munere ſoleat fungi Dialectica, & quanam diviſione ſecerni, edicatur. Primò citra dubium eſt, inſignem videri Logicæ virtutem, aliquos edocere terminos, eorumque affectiones, ut inde juvet Apprehenſionem, cui frequenter unum pro alio ingeritur, ſi vocum ſenſus non teneatur. Alios verò terminorum ſubiici debere oſtendit, alios prædicari, ut ſic etiam Iudicio certa regula ſit, qua enunciare, ac definire ritè valeat. Mox quoſdam Canones elaborat, ſive argumentorum figuras, unde conſtet intellectui, quemadmodum bona ratiocinatio, ſive unius ab alio deductio non perperam efficiatur. Quæ omnia ut à nobis condiſcantur, *Summulas* adinvexit, quandam ſcilicet do-

documentorum epitomen, in qua Tyrones edocet, expurgato ab erroribus intellectu, quæ confusa sunt, cognitione distinguere; quæ latent, definitione rimari; quæ varia, divisione secernere; quæ connexa, discursu deducere, objicere, obstare, concludere.

Sed multò magis ad eam cognitionem *qualis Dialectica sit*, facit ejusdem repetere divisionem, qua in Naturalem, Artificialem, & Scriptam distributa fuerat. Porro Naturalis, ut dicebatur, cuique hominum a natura ingignitur, eàque vel rudissimi, & ingenio agrestes uti sciunt, apprehendendo, judicando, sermonem faciendo, nullà in hoc requisità methodo, præceptoquè nullo. Nam sicuti oculus ita factus à natura est, ut citra omne studium, artemquè suas visiones eliciat; non secus mens nostra sponte sua in actiones cognoscendi exit, quamvis nullo ad hoc suffragio corroboretur. Artificialis autem est documentorum collectio, & observatio, quà certæ quædam regulæ instituuntur ad hoc, ut ea naturæ vis discurrendi regatur, erroresquè tam obvios eludat. Eo prorsùs modo, quo saltandi ars pedum motum cuique à natura datum regit, varieque configuratum in saltus vibrat, in choreas torquet, in orbem ducit. Et hæc mentalia præcepta si mandentur scriptis,

ptis, dici Logica scripta consueverunt.

Alia fit divisio Logicę in Actualem, atque Habitualem. Prima dicitur quævis præceptio, v.g. bene definiendi, dividendi, argumentandi, &c. Secunda facilitas quędam, genita in mente à Logicalium actuum frequentatione, cujus gratià quis excitatior, & expeditior actiones obit consimiles. Et hæc in ipso etiam dormiente manere solet; non minùs ac sonandi habitum non exuit, qui scienter jam noverit pulsare tesseras, etiamsi modò non pulset.

Novissima Logicæ divisio fit in Docentem, & Utentem. Non quod revera hæ sint duæ Logicæ invicem distinctæ; nam una, eademquè hanc geminam habet denominationem, pro diversis etiam actibus, in quos exit. Logica enim quatenus docet, sive Canones tradit ad bene agendum, vocatur *Docens*. Prout verò iisdem & ipsa utitur, actu judicando, definiendo, ratiocinando, consuevit nominari *Utens*. Quemadmodum ergo ars v. gr. equestria una est, eademquè, sive doceat rationem equi regendi, sive suà utatur regulà, & actu agat regendo; sic una est, atque indistincta Logica, quæ cùm docuerit bene agere, in actionem quoquè ipsam non raro fluit. Nec enim arriserit eorum sententia, qui *Docentem*

ajunt

ajunt esse habitum, verè ab *Vtente* distinctum, eoquòd cùm quis facilè doceat methodum ratiocinandi, attamen ipse nonnisi ægrè ratiocinetur. Ex quo arguunt, illum *Docente* quidem esse præditum, sed Logicam non habere *Vtentem*. Hoc, inquam, non convincit. Nam qui bene, ac facilè docet, æquè bene uti potest documentis etiam agendo. Et si eà in re difficulter se habet; oritur id, non quia careat Logicà *Vtente*, cùm hæc ipsa eadem sit, atque *Docens*; verùm ex ignorantia materiæ, circa quam versatur. Ita v. gr. si Logicus quis non expeditè ratiocinetur, sive in re mathematica, sive astronomica, non id sit ex eo, quòd Logica destituatur *Vtente*; sed quia ignorat de puncto, de basi, de angulo, de astris, &c. Ergo Logica *Docens* vna est cum *Vtente*; *Vtens* verò cùm *Docente* una. Et exinde constat, qualis ea sit, seu quasnam gerat virtutes. Docet enim ratiocinii normam; & sic est *Docens*; Utitur eàdem, & ita vocatur *Vtens*.

Cujus

Cujus gratia Logica sit.

NEmo est, qui ambigat, aliquem sibi proposuisse finem antiquos Logicæ inventores, ad cujus etiam consecutionem ij nituntur omnes, qui animum, ne sordidà squaleat rerum ignoratione, ad hujusce artis cultum addixerunt. Eum verò finem quia jam vulgus consentit esse Veritatem, idcirco prænoscenda est ea distinctio, quæ in omni arte duplicem dirimit finem, *Intrinsecum*, & *Extrinsecum*. Intrinsecus ipsa met res est, ad cujus confectionem præcepta in arte constituuntur, cujusmodi est v. gr. frænum respectu artis frænefícæ; domus, domificæ; atque similia. Extrinsecus autem censendus, ad quem dirigitur opus jam factum. Sic moderatio equi, frænefícæ; civium habitatio, domificæ finis extrinsecus revera est. Nam ideo cuditur frænum, ut regendi equi os premat; ideo tollitur domus, ut accomodà quis habitatione fruatur. Utrumque hunc finem deprehendimus etiam in Logica; *internum*, hoc est discursum; & *externum*, seu veritatem, pro cujus consecutione discursus fit.

Adhuc tamen necessum arbitror, Veritatem in duplicem segregare, ut

Logica utri ſtudeat, notius fiat. Prima ergo veritas eſt, quæ dicitur *extantiæ*, ſeu *exiſtentiæ*: Secunda *judicij*, & *enunciationis*. Prior nihil revera cenſeri debet, quàm ipſamet res, ut in ſe manet. Ita cùm dicimus verum aurum, veram gemmam, ipſum eſſe auri, atque gemmæ indicamus. Quo ſenſu Epicurus in Sext. Empir. 1. adver. Log. *Non differt*, inquit, *dicaſne aliquid verum, an exiſtens*. Et Ariſt. Metaph. 2. cap. 1. *Vt ſecundùm eſſe unumquodque ſe habet, ita etiam ſecundùm veritatem*. Poſterior veritas, quæ dicitur *iudicij*, & *enunciationis*, tota eſt in conformitate cognitionis cum re cognita. Proinde ſi cognitio feratur in rem ſicuti eſt, eamq. ad inſtar ſpeculi, ut imaginem bene reddat, vocatur vera. Et in hoc ſenſu idem Epicurus ajebat; *Verum eſſe, quod rem dicit eſſe, ſicuti ſe habet*.

Perſpicuum exinde fit, Logicæ ineſſe de poſtrema veritate ſollicitudinem. Ea enim ad veram nititur cognitionem verum judicium, verum diſcurſum, verſaturquè tota in hoc, ut omnes intelligendi actiones ad exactam rectitudinis normam revocet, ac emendet. Verùm non ex eo videtur etiam ſatiari humana ſciendi cupido. Nam qui nobis à naturà ſuccenditur amor ſciendi, non uni acquieſcit ſtudio ratiocinationis; imò ad ea paſſim exardet, quæ in hoc Orbis thea-

theatro noſtram vellicant curioſitatem; tandiuquè fixà inveſtigandi patientià tenetur, donec veram extorſerit cognitionem. Quod quia Pythagoras in re quadam obtinuiſſe fertur, animo impotenter geſtiens *echatomben* ſacravit; atque Archimedes ob hujuſmodi nobile inventum cohiberi non potuit, quin voce contentà iterum, iterumquè *reperi reperi* dictitarit.

Viſum ergo quibuſdam eſt Logicæ finem eſſe duplicem: Unum ſeriò quæſitum, cui enixiſſimè ſtudet; ſermonem videlicet rectum: & unum quoquè ſecundariò volitum, de quo non tam anxiè curat; res nimirùm, quæ in ſermonem trahuntur. Non ego tamen hac in re judex ero. Adeſt enim Ciceronis auctoritas 4. Academ. *Dialecticam inventam eſſe dicitis, quaſi veri, & falſi diſceptatricem, & judicem. Cujus veri, & falſi? & in qua re? In Geometriane quid ſit verum, aut falſum judicabit? An in litteris? an in muſicis? At ea non novit. In philoſophia igitur Sol quantus ſit? quid ad illam? Quid ſit ſummum bonum? quid habet, ut queat judicare?* Unde manifeſtum eſt, non Logicæ id munus incumbere, ut rerum objecta, extantiæquè veritatem veſtiget; ſed mentem rectà diſcurſus methodo inſtruat, qua mox adiutæ cœteræ diſciplinæ, Geometria, Muſica, Phyſica, &c. in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in ipsas rerum cognitiones deveniant. Utcumque sit, nemo inficiabitur, Logicam subsidia præbere, atque instrumenta, quibus ab intellectu removeantur errores, discussaquè hac nube, clarissima veritatis facies cuique artium per discursum illuceat. Age igitur videamus, undenam, & quinam sint hi errores.

Intellectus humani errores.

NOn congruenter ad veritatem opinati sunt quicunque dixerunt, animæ nostræ in suo exortu nescio quæ minima rerum simulacra, & imagines à natura fuisse inditas, quæ deinde corporis tegumento, tanquam radii nubibus consopiti jacerent, neque cognitionem objecti sui excitarent, nisi hæ beneficio ætatis ab invicem extricatæ, factæquè grandiusculæ suscitarentur. Eodem omnino ritu, quò v.g. in parvo semine totam arboris architecturam phrygio quasi acu natura pinxit; sed ea folicula, trunculos, ramulosquè non cernis, donec urgente veris impetu, fœtus denique adolescant. Non, inquam, hi veritati concordant. Caret enim anima nostra quavis notione ab exortu; imò tanquam *rasa tabula*, quidquam in se pi-

ctum

ctum non refert, nisi quod in eam externi sensus emiserint. Cùmque humana mens corpore tanquam carcere conclusa, id tantummodo recipiat, quod foris inciderit, jam cognoscis juremeritò enunciari; *Nõ esse quidquam in intellectu, quod priùs in sensu non fuerit*. Et id sanè tibi persuadeas velim quoad cognitiones rerum, quæ individuæ sunt, & in materia signatæ, ideoque à sensibus tangendæ, antequam in mente habeantur. Nam circa res, quæ dicuntur abstractæ; aut etiam quæ spiritu constant; imò quæ vocantur morales, & maximè circa Deum, non arbitror, mentem nostram egere omnino sensibus, ut ea verè, ingenioquè suo attingat. Habet.n. anima inditam sibi à Creatore vim, qua multa cognoscat sine subsidio sensuum; & hinc ejus ęternitatem convincemus etiam. Quocirca bene dixerat Cic. 3. Tusc. *Semina quædam virtutum*, sive cognitionum, *nostris inesse ingenijs*: adeo ut ea quoquè nobis maneant cognita, quorum nec speciem hic hausimus, nec imago ulla mouit sensationem.

Quoad res ergo, quæ sunt individuæ, constantquè materià, sic gignitur in mente cognitio. Digreditur ex objecto externo parva quædam, ac tenuissima ejus imago, quam communi nomine vocant *Speciem*. Hęc verò mittitur

ad ſenſum, facitquè cum eo ſenſationem. Mox actus iſte, ſive ſenſatio, novam & ipſe imaginem ſui transmittit, eamquè ſenſorios intra nervos adusque cerebrum extendit ſeu ad phantaſiam, cum qua gignit phantaſma. Rurſus & phantaſma imaginem reddit ſuam, refunditquè in intellectum. Quia verò hic ſpiritu conſtat, exit cum phantaſmate in actionem quoquè immaterialem, quæ animæ cognitio eſt. Demum & iſta cognitio, quæ viva quædam imago rei manet, ſuam generat ſpeciem, animæquè inſitam linquit, unde nos, quandiù ea viget, ac ſuſcitatur, recordari ſolemus præteritorum.

Sed omninò ſciendum eſt, ſenſibus noſtris nonnunquam errores inſinuari; ut v. gr. ſi turrim ad angulos factam, è diſtanti tamen teretem videas; virgamquè utut rectam, in aqua frangi, ſeu curvari cernas &c. Quem errorem triplici ex cauſa ortum video. Ex *organo*, ex *medio*, ex *objecto*. Ex organo, cùm ſcilicet inſtrumentum, quo utimur ad ſenſationes, vitioquoppiam afficitur. V.g. ſi oculis adhæreſcat fæx, quæ miſſas ab objecto imagines frangat, diſtorqueat, retundat. Si pupilla ſit magis extenſa, contorta, non recta, ut cùm digito ſuffecto à directione movetur. Si olfaciendi potentiæ non bene ſit; ex quo

uo contingit, ut odor non iciat nares, ut quamvis evaporet ſuaviùs, non ſentiatur. Si guttur aut ſcateat bile, aut iccitate torpeat, aut ſanguine ſit obtructum: non enim tunc obſonia tiamſi exquiſitiſſima ſapiunt. Si tactus nfirmetur, eò quia manus indoleat, utis rigeat, contrahantur nervi: nam x hoc ea, quæ ſunt rudia, contrectanus ut mollia; & quæ tenuia, tanquam udia ſint, pręſentimus.

Ex medio quidem ſenſus decipitur, uoties inter eum, & rem quidquid acet, alterationem inducit. Faciunt d hoc verba Senecæ nat. qu. 1. cap. 3. *Nihil acie noſtra fallacius. Remus integer n tenui aqua fracti ſpeciem reddit: poma intra vitrum intuentibus multò majora ſunt, &c.* Imò ſi ferant vitra tinctuas, videntur colorari & objecta; quæ, prout ea interjacent craſſa, tenuia, convexa, concava, trigona, quadrata, varias etiam picturarum vices amœniſſimè immutant. Sic omnino auget formam Lunæ craſſus in aere vapor. Quamvis mergatur ſub horizonte Sol, eum tamen non adhuc exortum nobis oſtendit atmoſphœra. Vox etiam alia eſt in tenui, & diverſa in aere ſpiſſo, quod nos Echo Magiſtra ſatis docet.

Ex objecto etiam oritur ſenſuum error. Id autem primò ratione inter-

valli; ut cùm navis, vento, remisquè acta, non videtur moveri ob distantiam; & sidera immani ducta rotatu, suis tamen sedibus fixa tanquam in asseribus nodi apparent. Hinc Seneca 1. nat. q. de Sole ajebat: *Quem scimus omnium esse citissimum, nemo nostrum videt moveri, nec ire crederemus, nisi appareret ipse*. Inde fit etiam, ut montes magno intervallo dissiti, continuo tanquam jugo unà commissi cernantur. Columnarum quoquè distantias porticus longa jungit; atque ut ait Satyricus

Turris, propè quæ quadrata surgit, atritis pocul angulis rotatur.

Secundò evenit hoc ex diversis rerum situationibus. Ita una, & eadem imago diversim locata, in amænam, in rudem, in turpem, in venustam abit, juxta quòd visuales radij, aut recti, aut fracti, aut contorti, ex distantia, seu vicinia cadentes, vario contactu sese commiscent. Tertiò ex refractionibus, atque reflexionibus quæ nova non accidit rebus facies? Inde vernant avium pennæ, redduntquè suavitates viridariorum. Inde pannum, aut serico, aut lanà contextum, etiamsi unà tincturà suffusum, innumeris ferè ludit picturis, cùm aeri sereno expositum, aut excutis, aut laxas, aut in sarcinam contrahis. Nempe quòd lucis

radij

radij quaquaversum cadentes, in extantem lanuginem diversimodè ingressi; mox cùm inde resiliunt, mutuâ coitione mixti, tam variam coloris imaginem, speciemquè reddunt.

Hac data necessitate cognoscendi per sensus, accidit non rarò, ut si quis error sese ijsdem insinuaverit, hic facilè mittatur in phantasiam, ab eaque in intellectum. Enimvero superveniens judicium ita rem judicare solet, sicut ea sensui externo exhibetur. Proinde si remum in aqua recurvum, si colores in iride, si navim procul actam vides ne movere se quidem, id quoquè attingit imaginatio, creditquè continuò mens. Egregiè in hanc rem D. Anselmus de veritate cap. 6. *Cùm puer fictum draconem formidat, certè hunc timorem non excitat puero visus. Quid enim magis in hac re repræsentatur puero, ac viro? Sed enascitur hæc formido à sensu interiori, qui non discernit in puero inter similitudinem rei, & rem ipsam.* Nec minùs usuvenit animalibus, quàm nobis hominibus, qui prout varias rerum imagines phantasia pingit, fugimus, regredimur, timemus, exhilaramur, tristamur, gaudemus; eò nimirum, quia jis, quæ concipit acris imaginatio, fidem non abrogamus. Ex dictis ergo facilè deprehendis, quinam hi sint, undevè nascantur intellectus humani errores.

Verùm ne pigeat eorum hìc aliquot nominatim etiam recensere, ut subjectâ singulis correctione suâ, faciliori etiam negotio vitari possint.

Primus error Intellectus.

Fides adhibita rei juxta, quòd illam externo sensui exhibet species. Nam res alia in se nonnunquam est, ac repræsentetur; unde non ægrè imponitur intellectui, qui de more credere consuevit quidquid foras inciderit. Sic aliquando putat quis exortum esse astrum, quia ejus imaginem in atmosphæræ vaporibus intuetur, quamquam sub horizonte tunc fortasse mergatur. Sic itidem in una extima superficie totam esse mens credit, quia sic obiicitur visui; etiamsi revera de multa nubis crassitie, atque varia partium extantia, intra quam vibrantur, franguntur, emittunturquè radij, ea coloratur. Sic receptâ Lunæ dimidiatæ imagine, credita illa est à quoppiam, nec rotunda, neque tunc in orbem acta, etiamsi globosa revera sit.

Cor-

Correctio.

Est hujusmodi à Logica. Ne confestim, atque temerè credas, judiciumvè feras de re, donec ea omnino constiterit; sed expecta, quousque sublatà distantià, seu quovis obice, aut uno ex alio correcto sensu, major apparentia contingat. Hoc verò fit non unico modo. Primo *remotione obstaculi*: Secundo *majori accessu*: Tertio *purgatione sensuum*: Quarto *rem ab examine ad examen revocando*: Quinto *rogatione Doctorum, &c.* Quoad primum, juverit maximè ad germanam rei notitiam removere quidquid jacens in medio turbat speciem, ac vetat. Vnde si aquam remoueris currentem, deteges v. gratia saxum in fundo, non ovalis, ut videbatur, figuræ, sed rotundæ, quemadmodum est, &c. Quoad secundum, vicinior accessus movet magis ad objecti notitiam. Sic enim forma, qualitas, magnitudo rei cognoscuntur. Accedimus autem *persona*: quod si fiat, res tutissima est. Hinc scimus Eudoxum quendam, Solis dignoscendi amantissimum, rogasse ad Numinum aras, ut eousquè convolare sibi daretur. Deinde accedimus *instrumento*. E sic Astronomi telescopios adinvenere, quibus

cœlo vicini quodammodo fierent, novamque astrorum genituram, situm, cursum, colorem, & hujusmodi non injucundo ausu rimarentur. Quoad tertium; debet purgari sensus, ne rem sentiat diversimodè ac in se manet. Ex quo defectu icterici, seu quibus pupilla humore suffunditur, omnia quæcunque intuentur, consimili quadam tincturà imbuta vident, quia nimirum hæc eadem allinitur & imaginibus, quæ ad visum mittuntur. Quoad quartum, non unus est sensus tantummodo consulendus, imò res traducenda per omnes; ut si quis eorum minùs renunciaverit, alij magis, ac tutò demonstrent. Mira sunt verba Macrobii Saturn. cap. 44. *Si eminus, inquit, pomi, quod malum dicitur, figura visatur, non omnino idem malum est: potuit enim ex aliqua materia fingi mali similitudo. Advocandus est igitur sensus alter, ut odor judicet. Sed potuit inter congeriem malorum positum auram odoris ipsius concepisse. Hìc tactus consulendus est, qui potest de pondere judicare. Sed metus est, ne ipse fallatur, si fallax opifex materiam, quæ pomi pondus imitatur, elegit. Confugiendum est igitur ad saporem, qui si formæ consentiat, malum esse nulla dubitatio est.* Quoad ultimum; rogandi sunt sapientes, & qui de re, cujus veritatem quæris, referre queant: seu

quia

quia ſic didicerint ab alijs, aut quòd ipſi viderint, manu tetigerint, experti fuerint, &c. Sic v. gr. ſideris magnitudinem intueris tu aliam, & ab aſtronomo ediſcis aliam. Ex quo fit, ne diurnum hoc aſtrum pedale judices, ut videtur; verùm ipſo globo terraqueo toties, totieſque majus.

Secundus Error.

N*Ova rerum idea, ex ijs, quæ foras obveniunt, intus efformata*. Fit autem hoc; ſeu *translatione ſpecierum*, ut v.gr. cùm imago formoſiſſimi juvenis transfertur ad Angelum; ſeu graviſſimi ſenis ad exhibendum nobis Deum, quibus tunc molem infingimus corpoream. Deinde fit *commixtione ſpecierum*. Quoties nimirum quas duarum, diverſarumvè rerum imagines in mente gerimus, in unam quaſi commiſcemus, atque confundimus. Ita ſpeciem v.g. equi, & hominis, quæ ab invicem ſejunctæ occurrerunt, in unius centauri configurationem unimus; aureum lapidem imaginamur; aerem vitreum &c. Cuditur etiam nova rerum idea ex *diſtractione ſpecierum*; quandocumque unum quid verè indiſtinctum, & verè unum, in diverſa fermè diſtrahimus, diverſiſquè cogni-

tionibus inadæquatè attingimus, ac ſi eſſet revera multiplex. Fit autem hoc ex eo, quòd res tametſi una ſit, atque indiſtincta, æquivalet ſępè diverſis, exhibetquè nobis motivum, ut eam quaſi variam, ſectamquè imaginemur. Ita v. g. in homine quia detegimus virtutem ſentiendi, atque ratiocinandi, hanc diſtinguit mens noſtra tanquam in duas; quia vider per eam, & gerere morem bruto, & ei, qui ratione præditus eſt.

Correctio.

HAbetur à Logica, quæ in Categoriis cùm dividat ſubſtantiam, in eam, quæ materià conſtat, & in eam, quæ ſpiritus eſt, docet etiam non utramque uno modo eſſe cognoſcendam. Itaque cùm altera cognoſci debeat veſtita quantitate, ac materià, neceſſum eſt ſic imaginemur ſecundam, ut corpore omnino carentem. Deinde ſi quędam objecta menti occurrerint, non quemadmodum ea ſunt. V. g. ſi anima tenuiſſimę cujuſdam aurę imagine, aut Angelus quadam juvenis formoſiſſimi ſpecie induatur; ne ſic rem eſſe credas, nevè hic error in judicium tranſeat, cavet Logica; edocendo rem cognoſci aliquando ſub imagine, quam

vocant

vocant *alienam*, non ex vera, & sua, quæ interdum haberi nequit. Occurrit etiam secundo errori, qui nascitur à commixtione specierum. Observat .n. aliquot distinctiones, quarum usu, & beneficio assuescit mens prædicata secernere, formas distinguere, metiri, seu distribuere gradus, ut genuinus fiat rerum conceptus; & siquando commixtio imaginum, seu confusio specierum suboriatur, novamquè rebus affingat naturam, hoc ostendit esse monstrum, chimæram, entis fictionem, &c. Postremò medetur etiam erroribus, qui à *distractione* nascuntur. Præmonet enim de illo distinguendi more, quem vocant *rationis*. Quamobrem si ratio nostra varias in re una, indistinctàque apprehendat formas, ut v. g. in homine animalitatem, quia sentit; & rationalitatem, quia discurrit; satis monet, in re non inveniri hanc distinctionem; imò ista duo revera non esse duo, aut invicem distincta. Ex quo intellectus condiscit non errare: nam quoties ea distinguit, quæ distinctionem in se non habent, scit etiam hanc distinctionem non esse rei, sed *rationis*.

Tertius Error.

A*Licujus rei conceptio, nedum habitâ significatione vocis*. Vt cùm quis rem æquivocè, metaphoricè, obscurè dicit; eamquè nos diversimodè apprehendimus, ac ille significet. Ex quo etiam, inquit Cicero, *nugæ omnes quæstionum dimanarunt*. Quare danda opera est, ut qui nos arguit, non unà utatur voce, interdum se magis aperiat, dicatquè terminorum significationes. Contingit enim in disputando rixam trahi longiorem, & id etiam cum emphasi, aut contentione vocum (si & jurgia plerumquè non fiant) quia terminorum ignoratur utrinque significatio. Huc videtur attinere monitum 18. Prov. 13. *Qui ante respondet, quàm audierit, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum*. Atqui non pauci sunt, qui antequam audiant, hoc est rem bene teneant, respondere, obstare, contra niti velint. Ex quo mentis confusio, & vanissima quæstionum certamina inter Doctorum quoquè cætus oriuntur.

Cor-

Correctio.

FIt à Logica, dum satis effusam de terminis, ac vocibus tractationem aggreditur. Quibusdam enim docet, sensum subesse multiplicem, sed non item omnibus: hos attinere ad rem, non verò illos: quosdam affigi uni tempori, & in diversum trahi quosdam. Hæc autem omnia præstat, cùm de univoco, æquivoco, analogo, distracto, contracto, & hujusmodi terminis agit. Ad hæc docet nos, quid sit genus, quid species, quid accidens, differentia, proprium, & quæ vocibus etim significatio subjecta sit. Ita verò mirum est, quàm bene juvetur intellectus, ne in judiciis perperam agat, ne quod uni convenit, alteri adjudicet; ne rei, quæ significatur, sensum ignoret; &c. Sic omnino Brutus cùm audisset oracula de figendo *Matri suæ osculo*, quòd cognoverat sub nomine *Matris* terram quoquè significari; eidem osculationes censuit esse dandas, nec mentis errore captus est. Tradit etiam Logica terminos, qui vocantur *secundæ intentionis*; & sunt denominationes illæ, *subjecti*, & *prædicati*; *definiti*, ac *divisi*; *cogniti*, & *non cogniti*, atque hujusmodi, quæ rebus adveniunt,

earumquè primæ significationi novas affingunt; unde vocari solent, ut diximus, *termini secundæ intentionis.* Per hęc itaque omnia, si bene condiscantur, evitatur error jam dictus.

Quartus Error.

A*Dhæsio iis, quæ nobis externo iudicio, siue auctoritate commendantur, absque ullo examine prævio.* Vt v.g. quoties rem, etiamsi arduam, sequimur, credimusvè, quia hic, ille dicit, & credit. Audi Sen. ep. 123. *Inter causas malorum nostrorum est, quòd vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur.* Exinde factum esse arbitror, ut Philosophia ætatibus tam diuturnis fuerit ad instar statuæ, quæ adoratur quidem, sed tamen non promovetur. Ea siquidem ab initio tradita ijs est, qui ne à Magistris uno vix ungue discederent suis, easdem omnino sententias, & aliquando nugas acriter, ac obstinatè, contumaciùsque tutati sunt, eo dumtaxat nomine, quia sic Magistri docuerunt. Hisce quid consimile observat Plato 7. de Legibus inter Ægyptios. Ait enim: *Si bene adverteris, invenies ibi picturas, figurasque iam à decem annorum millibus, quæ nec elegantiùs, nec deteriùs, quàm nunc fiunt;*

sed prorsùs eàdem arte effectæ sunt. Rationem verò tetigerat, quia nimirum inter Ægyptios *non erat fas, aut pictoribus, aut hujusmodi alijs innovare quidquam*. Vsqueadeo nimia reverentia erga Magistros, aut eos, qui nos antecesserunt, omnem spem bonas juvandi artes ademit. Non ita se gesserat Aristoteles, quem scimus consuevisse in suum quoquè invehi Preceptorem, dubitando, querendo, exagitando: Et id sanè tanto cum bono Philosophię, ut inde sereniorem sit ei diem auspicatus. Hoc verò quàm fœdè neglexerint quidam, satis ostendit Lactantius in 3. c.24. ubi ait. *Quid ego dicam de iis nescio, qui semel cùm aberraverint, constanter in erroribus durant, vanisq; vana defendunt; nisi quòd eos interdum credo ioci causa philosophari, aut prudentes, & scios mendacia sumere defendenda, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant, sive ostentent*. Id autem oriri compertum habemus, quòd in natura non veritatem quærere, sed eorum, qui nos docuerunt, axiomata tutari velimus. Quasi justum sit, quod uni jam Pythagorę dabatur honori, hoc arrogare cuicumque Magistro; *ipse dixit*. Verùm quid hoc est, nisi errores ab alto suscipere, ut in nos vi etiam majori descendant?

Cor-

Correctio.

Contingit à præsidiis Logicæ, nam eà satis muniti congredimur & cum iis, qui nobis magistri sunt, nostræquè institutioni curam collocant. Qua in re si quid commendant minùs rationi consonum; si quid chymærici animis ingerunt; si quid ambitione magis, & ingenij fastu, quàm sano discursu efficiunt; omne id arguitionibus occurrit, ad examina trahitur, exploratur, exagitatur, donec larvam exuerit ab auctore suo incinctam. Usuvenit enim, & maximè in re philosophica, quod habet Cic. Tusc. 3. *Cum nos à pueritia Magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & natura confirmatæ opinioni cedat*. Quamobrem siquis extitit veritatis amator, non is in eorum verba jurasse invenitur, quorum doctrinis initiò imbuebatur. Imò acceptas aliunde sententias ita examini, & sinceræ mentis ratiocinio subjecit, ut cùm fuerit ab iis recedendum, & recesserit, & novis etiam studuerit. Sic Plato sophystarum dicta, inanesquè doctrinas abegit; Platonem correxit Aristoteles; Hunc Theophrastus impetiit; nosque ad invicem obiicimur, obstamus, ut non

quod

quod aliis visum est, eorumque ductum sequamur, sed veritatem.

Quintus Error.

L*Icentia interpretandi Auctores, trahendique in nostrum sensum*. Hinc enim oritur frequenter, ut non teneamus quod auctor dixerit; sed eum cogamus dicere, quod ipse nec imaginatus quidem est. Qua in re non sine stomacho audiri queunt nonnulli, cùm jactant se ratiocinari de mente Auctoris, quasi eam introspexerint, hauserintque; hunc esse germanum sensum; hanc subterni verbis genuinam significationem; quamvis, ut habet Lucanus in 6. fortasse

Tonet ignaro cœlum Iove.

Inscio enim prorsus Auctore, sive talia nequidem somniante, rixamur, & contendimus, eum adducendo, enodando, ex arbitrio interpretando. Et bone Deus, quot jam invenies eorum, quos ita effari audies? *Explico D. Thomam, Augustinnm, Aristotelem*; & hos quidem omnes utinam non ignorent. Sed tamen hi ad instar Mystarum ajunt, se Numinum tenere mentem, eamquè ut de Tripode mittere in vulgus. Imò quoties desiderant invenire Auctorem, non ut ipse revera est, sed quem esse vel-

vellent? Quòdsi non ita inveniant; omnino faciunt Adducunt enim ejus dicta, & sententias, nunc truncas, nunc vitiatas, nunc æquivocas; & minimùm abest, quin dicant sicut quidam in re alia, Isaiæ c.30. *Loquimini nobis placentia*. Usqueadeo amant Doctorem, non veritati, sed suo ingenio, & confirmandæ opinioni quæsitum.

Correctio.

HUjusmodi est à Logicà. Quoties jusserit voluntas, mentem cuippiam objecto adhærere; cogitandum est, hoc ne fiat meritò, an injurià; sitne ratio, quæ id suaserit, an impetu animi contigerit. Quòdsi ea se gesserit nimis cæcè, condiscit intellectus non ita subitum exhibere assensum, quin priùs rem subdat examini, & facem, ne larvas consectetur, admoveat. Egent sæpe hujusmodi correctione qui alicui sectæ nomen dant. Prout enim quis Thomistarum, sive Scotistarum castra fideliter sequi decreverit, isti, eiquè sententiæ subscribere cogitur, & ad eam agi necessitatem, ut sui Auctoris verba in cujusque rei probationem trahat, si etiam non trudat. Ex quo à Philosopho quæsitum est in sect. 18 Probl. 6.

Cur

Cur in ijs ſtudiis, quæ ſibi quis delegerit, quamquam interdum pravis, libentiùs tamen, quàm in honeſtioribus verſetur? Hoc autem fieri arbitror ex præoccupatione, qua intellectus reddi ſe mancipium non abnuit, iiſque addici ſententiis, non quæ colorem habeant veritatis, verùm quibus initiò aſſuevit. Oritur etiam ex ambitione, qua conſuevimus amare quod noſtrum eſt, maximè ſi fuerit jugi meditatione inventum, ut citò videbimus.

Sextus Error.

N*Imia ſubtilitas, & comminiſcendi amor.* Nam ſæpius veritatem, quia nimis obvia eſt, minimè credimus, quaſi ea in latebras ab hominum commercio receſſerit, unde nonniſi præacutis ingenij conatibus ervi queat. Imò etiamſi ratio, & ſenſus aliquando rem de facie oſtendat, quia tamen via hæc ardua non eſt, aliorſum nitimur, præruptumque iter, ut ingenioſi videamur, inimus. Qua in re nec indignamur quidem labi, dummodo ſciat quis, fuiſſe à nobis quidpiam acuti, & metaphyſici, non ita obvium omnibus, excogitatum. Congruenter Plin. in 9. epiſtol. 26. *Tutius eſt per plana, ſed*

sed humilius, & depressius iter. Frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus. At his non labentibus nulla laus: illis nonnihil, etiamsi labantur. Sicut enim qui fune in aera nituntur, amant videri jam jam casuri, & ferè cadunt, eà ducti ambitione, ut sibi plausum à circumstantibus excitent; non secus & in scientiis per dubia, & ardua gradimur, imò etiam ultrò cadimus; dummodo constet, audere nos quidquam novum, arduum, & acutà mente dignum. Quod sicuti non abnuo emereri laudem, si tam veritas mergatur profundùm, ut acuminibus ervi tantùm queat; sic rem esse judico vanitatis plenam, ut acuti videamur, ea contemnere, quæ obvia, & ad manum sunt. Quid enim hoc est, nisi agere, ut *Philosophia potiùs quàm magna, difficilis videatur?* At quæ ardua sunt, quia labore comparantur, amamus etiam magis. Unde matres ajebat Philosophus Ethic. 9. c. 7. *esse natorum amantiores*, quia circa eos fatigantur diutiùs, & gerendo uterum, & nutriendo, & cunis fovendo. Quamobrem si & hìc in re nostra quisquam sectetur ea, quæ ardua sunt; & laboriosa, fit etiam, ut magis habeat in corde, tueatur, ostentet, posterisquè physicam rem quærentibus, metaphysicam veriùs tradat. Hinc verò in auditoribus ea oritur,

captio,

captio, ſive *dubitatio* mentis, quam innuit Ariſt. Ethic. 7. cap. 2. Nam *ſophiſtæ* cùm videri acuti deſiderent, *mira omnino redarguunt*, & ſanè tunc *ligatur* (in eo, qui audit) *mens: cùm manere quidem non vult, quia concluſio non placet; procedere autem non poteſt, quia rationem ſoluere nequit*. Iuvat ergo eſſe interdum minùs acuti, audentiſque ingenii; veritatem nanciſci ab experientia; cogere mentem ad æqua, obvia, & ſolida. Nam hæc omnia quicumque indignatur, ut in acumina exardeat, fulminaris adinſtar ignis videtur: *Obliquus enim eſt*, inquit Seneca, *quia ſpiritus eſt*.

Correctio.

FIt per ea omnino acumina, quibus & in errorem abduci mens conſuevit. Si enim quis eà, quæ nunc tangit ſpeculandi ambitio, feratur, tandem ſentit cum Seneca epiſt. 88. *quantum noxæ faciat nimia ſubtilitas, & quàm infeſta ſit veritati*. Quod fortaſſe non cognoſceret, ſi mentis acumine in ſuis quoquè auſibus non valuiſſet. Quemadmodum ergo poetæ, ob eam, quà maximè commendantur, imaginationem, chymæras, centauroſque, res nimirum vanas, intelligunt ſe finxiſſe;
Non

Non secus humana mens in acuti, & nimis vaga licentia comminiscendi hoc etiam edifcit, ut resipiscat, modum faciat acuminibus, consectetur sensum, se ad æqua, & obvia, cùm fert occasio, dimittat, ejus effati conscia, quod Cortina edidit Aristotelea 8. Physf. cap. 3. *Quærere rationem, ipsum post habendo sensum, imbecillitas est mentis, & hebetudo.* Eam ob rem nonnemo etiam subsannat Zenonem, qui argutijs aliquot bene munitus contendebat, motum fieri posse nullum; tametsi dum ipse ita evincere conabatur, manuum gestibus, & fortasse non absque supplosionibus undiquè totus commoveretur. Non secus Protagoram, Nausiphanem, Parmenidem, sectasque integras Pyrrhonicorum, Megarensium, & hujusce generis damnare mos est, quòd hi omnes ingenio nixi, & acuminibus, veritatem, quæ constat frequentissimè à sensu, omnino ex medio tollebant.

Sep-

Septimus Error.

D*Isputatio rixosa, & merè ad rixam.* Nam sicuti rem trahere in quæstionem juvat maximè ad veritatem, ita omnino quicumque nimius in hoc negotio est, nouis umbris eam involuit, ne unquam emergat. Hinc ajebat Arist. 4. Rhet. *eos non se amare, qui crebrò contendunt: Pugnaces enim sunt; & qui hujusmodi sunt, non eadem velle, sed magis contraria videntur.* Oritur hinc, ut neque ament veritatem. Nam ea cùm frequenter sit obvia, & in objecti evidentia occurrat, indignantur, quia occasionem adimit rixarum, & contentionum, in quibus totam ingenij laudem constituunt. Ex hac re miserrimum dictu est, quanta exorta sint damna etiam Fidei nostræ, quam contentiones Manichæorum, Donatistarum, Arrianorum obstinatiùs actę obfuscabant. Scimus autem, hujusmodi hominum sævitiem (ut ajebat de Scorpio Tert.) *velificasse contra nos Austro, & Africo;* nimirum ex turbido vento ambitionis, quo nubes veritati, ne tam citò eniteret, congerebantur. Hoc & in Naturæ indagine intuemur. Siquidem æstus iste rixandi tam exterret Veritatem, ut semet ostendere vix audeat.

Cor-

Correctio.

Fiet, si contendendi ambitionem coerceamus. Eò enim debent eniti contraversiæ nostræ, quò eas amor veritatis vocat, non quò ingenij ostentatio exardet. Quot verò ii sunt, qui cogunt circulum eà mente dumtaxat, ut rixando strepant? ut Novitios in cathedra exagitent? ut ad tricas urgeant? ut contenta voce obtundant? Quamobrem ea nobis omninemur justum est, quæ Fabium Maximum tam bene commendabant. Novam is de Annibale victoriam commentus dicitur; *non pugnare*, ut inquit Flor. 1. cap. 6. Iuuerit ergo non adire omnino concertationes, ubicumque fiunt ij cætus hominum, quos non tenet nisi contendendi amor, omni spe veritatis abjecta.

Octavus Error.

Non eligere *Magistrum* . Et quidem miseret omnino eorum, qui se cuique obuiuo temerè tradunt re philosophicâ imbuendos, cùm reuera non desint Institutores, qui novercarum ritu discipulos iniquè tractant, ingerendo quæ vana, quæ rixosa, quæ incongrua, quæ magis dediscenda sunt. Oriuntur verò hæc damna maximè ab incuria Parentum, qui suos etiam natos adire sinunt quòcunque casus egerit, sive à recta sciendi ratione distorserit. Res miserrima quidem. Nam sicut in eos jure merito invehimur, ait Alexandrinus 3. Pedag. *qui cùm domi enuntriant psythacos, graculisque obsonia dividant*, filios tamen cuique materteræ tradunt, etiam vecordi, exsuccæ, morum esori, & ex qua non vitæ hauriant juvamenta, sed morbos; ita etiam ferendi non sunt, qui sobolem suam quibusquè Magistris addicunt, sententijs imbuendam nescio quibus. Hoc vnum scio, Nautas, qui mare primùm ausi sunt emetiri, consuevisse offendere in Syrtes, in saxa, in cautes, quia nimirum ut ait Ouid.

Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos Nauita.

Nec

Nec secus faciunt, qui non habitâ Magistrorum notitià, ijs tradunt Iuuenes in omnem errorem facilè agendos. Imbuunt enim opinionibus, quæ distant à vero, adeo ut eos cùm à se dimittunt, videant gestare onerosas chartarum sarcinas, doctrinam verò leuissimam. Non immeritò Pænus quidam (ajebat Max. Tyr. dissert. 35.) morte damnatus est, quòd Leonem, Regiæ stirpis bestiam, tam fædè tractarit, ut saccos etiam gestare, imò & *asinum agere* totà urbe coegerit. Usqueadeo malè ominandum est ijs, qui Iuuentam, ingenio, atque indole præstantissimam, subijciunt oneribus quæstionum, ac sententiarum, quæ studia obruunt, fatigant, enecant. Non ergo tam iniquè tractanda est Adolescentia, & maximè Patritiorum, quibus ut bonam hauriant mentem, secta constituenda est eorum, qui saniorem in Philosophicis doctrinam profitentur, ac tenent.

Cor-

Correctio.

SAtis constat quęnam esse debent. Occurritur enim tanto errori, eligendo viros, qui sint studiosi veritatis, eam quæritando, efferendo, tradendo, commendando, ut quam acceperunt Iuventam bonis artibus ornandam, in germana, & vera Philosophia instituant. Quamobrem non sine cura decernenda est Secta, quam nos, & discipuli etiam nostri sequantur. Hæc autèm erit Neotericorum, qui hac præsertim ętate scientias tam bene tractant, quàm bene sciunt in Logicis Baco, in Physicis Gassendo, Thyco in Astronomicis, Galileo in motibus, Boyle in experimentis, Kirchero in Mechanicis, Chabeo in Meteoris, & ij sanè innumeri, quos rem verè Physicam à Metaphysicis erutam, restituisse suo nomini, decorique scimus.

Non desunt alij errores, qui se humanę menti affundunt. Sed quia eorum potissimi videntur oriri ab ætate, studio, educatione, affectione, habitu, &c. hos omnes jure merito assumit sibi Ethica emen-

dandos. Hiſce autem cognitis, remotiſque, ſtatim humana mens ad ſuas exit actiones, quarum prima cùm ſit Apprehenſio, de hac, ut noſtræ ſervetur œconomiæ ordo, agendum eſt.

***

L E-

LECTIO PRIMA.

De simplici Apprehensione.

APrehensio simplex dicitur ea cognitio, qua intellectus ratione quadam simplici attingit quid; non judicans, utrum revera sit, an non; hoc ne modo se habeat, an diverso. Vt v.g. cùm exhibetur menti Angelus, homo &c. priusquam de iis affirmetur quidquam, sive negetur, dicendo *Angelus est incorporeus*; *Homo habet ratiocinium* &c. Eget autem sua directione simplex hęc mentis humanę actio; ne si evadat objecto difformis, eundem errorem insinuet judicio, quod frequenter ob Apprehensionis vitia ritè non exercetur; cùm id tantummodo affirmet, sive neget, quod ei à prima rerum cognitione obiicitur. Huic ergo Logica nostra subijcit statim instrumenta quędam in subsidium, ut bene, atque congruenter ad veritatem formetur.

SUBLECTIO PRIMA.

Monita quædam, bonæ Apprehensionis Instrumenta.

MOnitum primum. Vt recta fiat Apprehensio, non mero verborum sono acquiescito, sed intellectus in intimam pervadat significationem. Fuit hoc eximium Epicuri documentum, qui teste Cic. 2. de Finib. dicere assueverat; omnino sciri debere, *quæ vis subiecta sit vocibus*. Infinita enim ex mera vocum, sive terminorum ignorantione dissidia oriuntur, absurdæ, atque ridendæ quęstiones; vana, & contemnenda *Logomachia*. Ego quidem memini, ex hac voce *Camaleon*, quàm ingens rixa inter disputantes exarserit. Nam dixerat quis, ejusmodi bestiam tantùm aere depasci; nonnemo verò etiam fœno nutriri solitam. Adduxerat primus Auctorum testimonia: Sat erat secundo niti experientià. Socium ille irridebat; iste irrisorem conviciabatur. Fit rumor hinc inde, strepitusquè: accurrit gens; rogat, qua de re agatur. De *Camaleonte*, inquiunt. Iubetur hic dicere, cujusnam

nam esset figuræ, staturæquè bestia, quam viderat fæno vescentem? Renunciat quatuor pedibus nixum, dorso excrescente in gibbam, equina cervice; donec ingentis formæ *Camellum* describit. An quibant qui aderant cohibere risum? Videas quàm quis incongruè apprehendat, cùm non satagit, ut rem bene attingat, quæ voci cuique subjecta est, quàmque facilè ob id contentiones vanissimæ oriantur. Sed quia huic rei consuevimus mederi experientià, sit

Monitum secundum. Res ab experientia, quæ naturas earum ostendit, ante cognoscito. Quod si fieri non potest, roga scium, ut dicat, enarret, explicet, quoadusque magis innotescant. Sic fiet, ut audito rei nomine, cognoscas revera, quid ea sit; *Substantiane*, an verò accidens. Quòd si substantia; spiritune constet, an materià. Si materià, vitàne donetur, an non. Mox in quocumque, sive genere, seu specie constituta ea sit, ejus quære accidentia, virtutes, ornamenta, donec habeas de figura, magnitudine, activitate, ingenio, satis compertum. Sensus enim, & ratio duo sunt *Naturæ Antistites*, qui nobis arcanum quidquid est, abditumquè, fideli renunciatione ostendunt. Sin autem distantia, sive quid simile impediat, ne hi rogentur; tunc quærito eos, qui

sciunt, seu quibus de re cognitio aliqua emersit.

Monitum tertium. Quia verò potest aliquid non vna tantùm cognitione attingi, eoquòd aut res obscura est, aut juxta diversorum arbitria significatur, eam tu quoquè non uno modo excogitato. V. gr. vox ista *Logica* in quorumdam sententia sonat artem; in communi reddit scientiam; in tua fortasse utramque significat. Quid ergo in hac tanta rerum diversitate apprehendes? Omnino quod cuique videtur. Nam si hoc modo teneas, quid sit ars, quid scientia, earumque natura, ritè judicabis de Logica. Ex hoc juvatur etiam secunda intellectus operatio, cùm bonitas, aut rectitudo judicii contingat ex eo, quòd inter varia concepta, mox unum statuatur, & affirmetur.

Monitum quartum. Rem, quę indiget aliena imagine, cognoscito sub ea, quę minorem gerit cum ea dissimilitudinem. V.g. potes cognoscere Angelum, & sub imagine tenuissimi aeris, & sub forma etiam venustissimi Iuvenis. Quo in casu juverit sanè uti hac postremà: Nam etsi utrobique materiam habes, qua revera scimus carere Angelum, attamen imago juvenis est eidem non tam difformis. Habet enim uterque rationem substantię, rationem

vi-

vitę, rationem mentis &c. Quę omnia exhibere non quibit una species tenuissimi aeris, qui est vitæ, ac intelligentię omnino expers. Ideo assumi debet consimilior imago, seu quę minorem habet cum re disparitatem, ut ex ea congruentior nobis apprehensio contingat. Idcirco antiqui Sapientes aliquam sibi de Deo notitiam facturi, *non in uno quodam solo eorum, quæ oculis cernuntur, Divinitatis opinionem stabilierunt*, inquit Nissen. or. 4. advers. Eunom. Sed hinc inde hauriendo rerum diversarum imagines, *Creaturæ partem unamquamque peculiariter admirati sunt*, donec naturam nacti fuissent, in qua Dei Essentia excitatiùs luceret. Eam Persę sub ideą Solis, Ægyptii sub imagine oculi, & sub siderei Orbis figura Babylonii satis benè cognosci existimarunt. Prout nimirum hęc, aut ea imago conduceret magis ad aliqualem Numinis ostensionem.

SUBLECTIO SECUNDA.

TERMINI.

Alia bonæ Apprehensionis Instrumenta.

TErminorum cognitio supra cœtera necessaria videtur intellectui nostro, ut ritè apprehendat. Si enim voces audiantur, & nescias quid ferant, quid innuant, quid in se habeant significationis, male fiet apprehensio de rebus, unoque cognito vice alterius, tibi frequenter impones. V.g.si hęc vox *Canis* dicatur, cùm nescias æquivocè dici, & in variam naturam canis extendi, unum sub ea terrestrem canem imaginaris, cùm tamen cœlestis, atque marinus eàdem etiam voce significetur. Hoc igitur loco terminorum Tractatum aggredi juvat, qui ad bonæ Apprehensionis consecutionem instrumenta sunt. Et statim notetur.

Ter-

Termini Definitio.

DIcitur Terminus à terminando. Et primò eſt quidquid aſſumitur tanquam finis cujuſque rei, ut v. g. lapis in agro fixus: quamobrem & ſtatuę, quæ in viarum finibus dudum erigebantur, *Terminales* dici conſueverunt. Secundò pro initio rei etiam ſumitur; & ſic v.gr. initium lineæ terminus ejuſdem vocatur. Tertiò in ſua vera ſignificatione, ut pars integrativa enunciationis; in quo ſenſu eum definit Stagyrita 1. Prior. cap.1. *Extremum, in quod reſolvitur propoſitio, ut in ſubjectum, & prædicatum.* Quævis enim enunciatio tribus omnino conſtat. *Subjecto*, quod ſubiicitur; *prædicato*, quod attribuitur; & *connexione*, aut verbo, quod utrumque ſimul unit. V. gr. in hac enunciatione: *Sol eſt igneus*, dicitur ſubjectum *Sol*; *igneus* prædicatum; connexio verbum *eſt*, quod cùm deſinat eſſe, ſoluta enunciatione, minimè terminus vocari debet: Nam ex Philoſopho dicitur terminus, qui ſublato nexu propoſitionis, adhuc manet. Manet verò attributum ſolummodo, atque ſubjectum; non connexio *eſt*, ſecus non eſſet ſoluta propoſitio.

Quoniam verò dicitur terminus, in quem enunciatio resolvitur, ut in *subjectum*, & *attributum*, hìc scire debetis, non in omni propositione duos inveniri terminos distinatim; sed sufficere, si unus eorum in verbo, ut ajunt, *virtualiter* contineatur. V.gr. si dicam: *Petrus est*; hęc enunciatio non distinctim, & omnino gerit duplicem terminum; sed tamen vox *est* continet in semet illum, qui deest, facitquè sensum: *Petrus est existens*. Vnde cônstat, prędicatum latuisse in verbo, seu in virtute verbi fuisse contentum.

Termini Divisio.

DIviditur primò Terminus in *mentalem*, *vocalem*, & *scriptum*; juxtaquòd, seu mente attingitur, seu voce profertur, seu calâmo scribitur. V.g. Terminus iste *astrum*, si tantummodo cognitione attingatur, mentalis dicitur; si ore dicatur, vocalis est; si attramento fingatur, evadit in scriptum.

Dividitur secundò in Terminum *primæ intentionis*, ac *secundæ intentionis*. Ille significat rem ut in se jacet, sive rei naturam. V.g. hi termini *aer*, *ignis*, *terra* dicuntur *primæ intentionis*, quia immediatè significant elementa, ignem,

ignem, aerem, terram. *Secundæ intentionis* termini ea ſunt attributa, ſive denominationes, quę rebus jam cognitis tribuuntur à Logica; quemadmodum v. gr. hę voces, *definitum*, *diviſum*, *prædicatum*, *ſubiectum*, *genus*, &c. Vbi enim intellectus rem primò cognovit, in eandem tendit ſecundò, vocatque aut ſpeciem, aut genus, aut definitam, aut diuiſam &c. Quamobrem vox iſta *diviſa*, *definita*, *ſubiecta*, *prædicata*, & hujuſmodi, termini ſunt *ſecundæ intentionis*.

Diuiditur tertiò in *Categorematicum*, *ſyncategorematicum*, & *mixtum*. Primus eſt, qui ex ſe aliquid ſignificat; ut v.g. *canis*, *arbor*, *cyenus*, &c. Secundus qui verè non habet à ſe ſignificationem; puta *omnis*, *unuſquiſque*, *nullus*, &c. Tertius eſt, qui ferè ſignificat, non tamen perfectè, atque ultimò. V. g. ſi dicas *egregiè*, *citò*, *diligenter*. Non enim ex hiſce tantùm vocibus diſtinctim cognoſcis, quid fuerit egregiè, citò, ac diligenter factum, quamuis reuera cognoſcis eſſe factum. Nonniſi autem *Categorematicus* veri termini rationem habet, quia ſolus verè ſignificatiuus eſt.

Diuiditur quartò in *Complexum*, & non *complexum*. Primus eſt, qui non unam continet vocem in recto, *ut vir doctus*, quę voces neceſſariò debent

referri ad unum, & idem; ita etiam, ut non sint synonimæ; secus enim terminus non esset *complexus*. Qui autem dicitur *Incomplexus*, unicam habet vocem, unamque significationem, ut *sidus*, *aurum*, *narcissus* &c. Dividitur quintò in *communem*, & *singularem*. Primus est, quo significatur quid commune pluribus; ut vox hæc *homo*; nam ea renunciat naturam humanam omnibus hominibus inexistentem. Secundus est, qui nequit convenire nisi uni; ut *Deus*, *hic homo*, *Petrus* &c. Iterum terminus iste singularis habet subdivisionem in *determinatum*, *vagum*, & *collectiuum*. Primus conuenit rei determinatæ, ut *Petrus*, *hic homo* &c. Secundus rem certè significat particularem, sed omnino indeterminatam; ut *quidam*, *nescioquis* &c. Tertius dicit multitudinem, sub una tamen unione coactam; ut *civitas*, *exercitus* &c.

Dividitur sextò in *transcendentem*, & *non transcendentem*. Primus est, qui ad omnia rerum genera transcendit, seu quem omnibus rerum generibus attribuere licet. Sex autem hic terminus habet species, & continentur hac voce *reubau*; nimirum *res*, *ens*, *unum*, *bonum*, *aliquid*, *verum*. Dicuntur enim hi termini transcendere, quia omni de re concessum est dicere; bonum est, aliquid est, verum

rum

rum est; ideoque *res* transcendit ad *ens*, ad *unum* &c. Contra verò *non transcendentes* ij sunt, qui etsi communes, non omnibus tamen, sed aliquibus tantùm determinatis conveniunt. Puta *homo*, qui de hominibus tantummodo; *cycnus*, qui de cycnis dumtaxat enunciatur.

Dividitur septimò in *absolutum*, & *connotativum*. Primus idem est, ac nomen substantiuum, quod ex se subsistit; ut v. g. *Petrus*, *arbor*, *aurum* &c. Connotatiuus autem dicitur quodcumque adiectiuum; imò & omne substantiuum, si pręter se, quid etiam connotet aliud. V.g. *justus*, *doctus*, & hujusce generis termini sunt connotativi, quia non tantùm per eos indicatur in recto hic, & hic homo; sed justitia etiam, atque doctrina in obliquo. Iustus enim significat *habens justitiam*; *doctus* verò *doctrinam*. Item hic terminus v. gr. *cœna* connotatiuus est; eoquòd significat comestionem, connotando tempus, quo exercetur, videlicet vespertinum.

Dividitur octavò in *abstractum*, & *concretum*. Primus dicitur, qui rem significat quasi abstractam, recisamquè à subiecto. V.g. hic terminus *nigredo* sonat nigredinem, ut extra subiectum, ut in se, ut à quocumque præcisam; & sic nigredo vocatur forma in ab-

abstracto, sive abstracta: Secundus autem dicit utrumque; hoc est formam, & subjectum, qui ea inexistit. Quemadmodum si dicas *nigrum*. Vox enim ista significat omnino duo;& subiectum ita dictum; & formam, cujus causà ita dicitur.

Dividitur nonò in *Finitum*, & *Infinitum*. Primus est, qui aliquid significat certum, ac determinatum; ut *homo*, *ignis*, *terra* &c. Secundus, qui rem sanè unam determinatè negat, sed tamen non aliam determinatè affirmat. Putà si dicas: *Non homo*; *non ignis*; *non terra* &c. Ex his enim satis cognoscitur,quid res non sit; non autem quid revera sit. Quo termino etiam uti quidam solent in definitione Dei; cùm dicunt, eum creasse cœlum, sed non esse cœlum;creasse ignem, sed non esse ignem; creasse aurum, sed non esse aurum &c.

Decimò Terminus dividitur in *pertinentem*, *non pertinentem*, & *disparatum*. Primus est, qui attinet ad eum, à quo etiam inferri potest. V. gr. *risibilis* quoad hominem. Revera enim terminus iste ita convenit homini, ut ritè sequatur ex eo. Sic, dato esse te hominem, bene arguo: es ergo risibilis. Ad hæc, vocatur etiam terminus *pertinens*, qui ab uno, eodemquè subiecto extrudit alium. V.g. frigus quoad

ca-

calorem; & calor quoad frigus, termini sunt *pertinentes*, quia virtus eorum attinet ad hoc, ut se mutuò excludant. Porro qui se inuicem, & mutuò inferunt, vocantur *pertinentes sequelà*. Concesso enim quòd v. g. sis homo, sequitur esse discursivum; & è contra si es discursius, inde sequitur esse hominem. Qui verò termini se à subiecto extrudunt, vocantur *pertinentes contrarietate*; quia invicem sunt contrarij, & mutuò sibi obstant. Secundò Terminus, quem dicunt *impertinentem*, est, qui nec attinet ad alium, nec eidem sese habet contrarium. V. gr. *musicus*, & *murarius*, vocantur impertinentes, quia nulla inter eos connexio, neque attinentiæ, neque contrarietatis est. Hinc sese non inferunt, nec se à subiecto eiiciunt: Potest enim contingere, quòd uterque sit simul; & è contra. Demum terminus, qui vocatur disparatus, ferè convenit cum dictis, quia non habet, aut connexionem cum alio, aut contradictionem. V.g. *siccitas*, & *frigus*, quæ inter se neque connectuntur, neque contraria sunt. Non sunt contraria, quia siccitas ubicumque sit, ex natura sua non arcet frigus, ut constat v.g. in terra: Non habent connexionem, quia siccum quod est, non necessariò frigidum est; alioquin ignis etiam

etiam urens haberet frigiditatem .

Diuiditur undecimò Terminus in *univocum* , *æquivocum* , *analogum* , & *denominativum*, de quibus agit Arist. in Antepredicamentis , quia existimat eorum notiones inseruire quammaximè ad Prædicamenta exactiùs tractanda. Imò Terminus diuiditur ultimò in eum, qui vocatur *oppositus*; in eum, qui *Prius*; & in eum, qui *simul*; de quibus tractat idem Stagirita tanquam de accidentibus Prędicamentorum ; & ideo Tractatus iste inscribitur etiam à Philosopho de *Postprædicamentis* . Itaque ut Arist. ordinem, qui & rebus, & cognitioni nostræ omnino congruat , ritè seruemus, omnia hæc inferiùs exponenda reiicimus.

Termini suppositio.

QVi diuisus est multifariam terminus, habet insignes aliquot proprietates, quarum maxima cùm sit suppositio , de hac statim nobis agendum est. Suppositio autem ex vi nominis idem est ac subrogatio, substitutio, siue unius vice alterius positio . Breuiter; est quando vox, aut significat se , aut rem distinctam à se : Nam ex Aristot. 1. Elench. *quia res adducere in*

medium

medium nequimus, vocem substituimus vice illarum; hoc est ministerio vocum easdem significamus. Hæc autem suppositio abit in variam.

Prima est quæ dicitur *materialis*, quando nimirum vox non significat nisi se ipsam. Vt cùm dico; *Arbor est vox*. Tunc enim hęc dictio *arbor* non est reuera nisi vox. Secunda vocatur *Formalis*; & est quando terminus, aut vox assumitur pro re significata. Ut si dicam: *Divus Thomas*, intelligendo eum, qui verè Doctor Aquinas est.

Secunda suppositio est *immediata*, & *mediata*. Illa dicitur, cùm vox assumitur pro significatione immediata. V. gr. si dicas: *Homo est species*. Tunc enim vox *homo* significat immediatè naturam humanam, quæ species est animalis. *Mediata* verò suppositio est, cùm vox adhibetur ad significationem rei mediatæ, siue contentæ sub immediata. V. gr. si dicas: *Homo currit*; hìc terminus *homo* non reddit sensum, quòd natura, siue species humana currat; sed tantùm is, qui continetur sub ea, ut Petrus, Franciscus &c.

Tertia suppositio est *singularis*, & *communis*; *distributiva*, & *collectiva*; *determinata*, & *confusa*; *completa*, & è *contrà*. De omnibus hìc breviter. Suppo-

positio *singularis* est, quando sumitur vox pro significato singulari: Vt si dicatur; *Petrus graditur*; *hic homo currit* &c. Communis autem vocatur, cùm terminus adhibetur pro inferioribus. V. gr. si dicas: *Homo est sensitiuus*. Nam vox *homo* significat Petrum, Franciscum, Paulum, ceterosque omnes.

Suppositio *distributiva* convenit cum dicta communi; & est cùm terminus assumitur pro inferioribus distributivè; itaut cuicumque singillatim accepto conveniat. V. gr. si dicatur: *Homo amat beari*, vox *homo* distribuitur ad Petrum, Franciscum, Paulum, & cœteros.

Collectiva suppositio est, quando terminus adhibetur pro inferioribus quidem, collectivè tamen, sive unitim assumptis; non distributivè, aut seorsim. Ex. gr. si dicatur: *Planetæ sunt septem*; vox ista *septem* non attribuitur cuique singulari, sed omnibus unitim.

Suppositio *determinata* est, cùm terminus adsignificat unum quid certum, ac determinatum, quod saltem signari potest à Deo, quanquam non enuncietur, quodnam hoc sit. V.g. si dicatur: *aliquis homo scribit*. Dato enim quòd enunciatio sit vera, potest Deus determinatè assignare hominem, qui verè scribit.

Ve-

Verùm ſuppoſitio *confuſa* eſt quando vox ſignificat unum ſanè quid, incertum tamen, atque ita indeterminatum, ut nec à Deo aſſignari determinatè poſſit. V.g. cùm dicitur. *Aliquis equus eſt neceſſarius ad equitandnm*; vox *aliquis* ita confuſa eſt, ut determinatè dici non queat de ullo. Aſſignato enim quovis equo, de hoc bene dici poteſt, non eſſe neceſſarium, etiamſi ſufficiat.

Ex quo cognoſcitur diſcrimen inter ſuppoſitionem determinatam, & confuſam. In dicta enim enunciatione *aliquis homo ſcribit*, ſignificatur actio exercita, quæ fit determinatè à quoppiam; ideoque ſi negetur de hoc, aut illo; de uno tamen negari nequit. Verùm in ſecunda: *neceſſarius eſt equus ad equitandum*, neceſſitas iſta equi non eſt determinatè in ullo; quovis enim aſſignato, dici poteſt, non eſſe hunc, qui verè ſit neceſſarius.

Completa demum ſuppoſitio ſimilis eſt communi, ac diſtributivæ. Fit enim quando vox aſſumitur pro inferioribus, & quidem ſingulis. V.g. ſi dicatur: *Omnis homo eſt diſcurſiuus*, hoc verum eſt de omnibus; & ideo ſignificatio vocatur completa. Contraria verò, ſeu *non completa* tunc eſt, quando terminus habet ſignificationem, aut ſpeciei tantùm, aut etiam individui

om-

omnium specierum. V.g. si dicas: *Omne animal fuit in arca Noè*. Vox enim *animal* in isto casu non significat pro singulis, verùm pro aliquo in omni specie signato.

Aliæ Termini proprietates.

NOnnullis termini subjecti sunt proprietatibus, quarum cognitio quemadmodum subsidio est ad fallaciarum detectionem, ita prorsus mentem ad bonum erudit ratiocinium. Hæ verò enumerantur; Ampliatio, Status, Distractio, Alienatio, Restrictio, Diminutio, Appellatio, Ascensus, & Descensus.

Ampliatio igitur est quædam termini extensio ad tempus etiam aliud, quàm quod in verbo significatur. Quemadmodum si dicas: *Mundi corde videbunt Deum*. Vox *mundi* non assumitur solùm pro signo futuro, ut ait verbum *videbunt*; sed ampliatur, extenditurquè ad præteritum quoquè, ac præsens. Nam revera qui & fuerunt, & sunt, & erunt mundi corde, ij omnes Divino fruentur obiecto. *Status* è contra est suppositio vocis, tam connexa tempori, quod à verbo significatur, ut aliud præterea non connotet. V.g. si dixerim: *Vigilans non dormit*; vox ea

ea *vigilans* omnino affigitur huic ſigno; neque trahitur in antecedens, quo dormiuit;ſiue in futurum,quo dormire poteſt.

Diſtractio fit, quando terminus ab eo tempore, quod innuitur à verbo, transfertur in aliud omnino diverſum. V. gr. ſi enuncies: *Muti loquuntur*; vox *muti* non ſignificat eos, qui nunc, & in præſenti obmuteſcunt; ſed qui jamdudum loqui nequibant: unde terminus à tempore, quod verbo ſignificatur, deductus eſt ad præteritum; redditque ſenſum, eos loqui modò, qui jam muti fuerunt. *Alienatio* verò eſt, cùm terminus adhuc magis diſtrahitur, euadendo à ſua ſignificatione omninò alienus. V. gr. ſi dicas: *Homo pictus*, iſta vox ita diſtrahit *hominem* à ſua ſignificatione, ut eam omnino alienet, non ſinendo ſignificare niſi picturam.

Reſtrictio eſt contractio quædam termini à majori ſenſu ad minorem, & fit per alterius termini additionem. V. gr. *ſtudioſi juvenes merentur præmium*. Vox hęc *ſtudioſi* non ſinit ſignificationem extendere ſe in omnes, verùm in quoſdam; eos nimirum, qui tantùm ſtudioſi exiſtunt. Diminutio penè conſimilis eſt, nam integram diminuit ſignificationem termini; ut ſi enunciem: *Æthyops candidus eſt ratione dentium*;

tium; terminus hic *ratione* coarctat significationem candidi; quocirca non Æthyops, verùm una tantùm pars ejus dicitur candida.

Termini *appellatio* est ejusdem affixio cuiquam rei determinatæ; ut v. g. in hoc enunciatio: *Archimedes fuit magnus Mathematicus*: vox ista *magnus* non cadit in Archimedem; imò in mathematicum. Vnde vox eadem vocatur *appellans*; & mathematicus dicitur *appellatus*.

Ascensus est, cùm termini sufficienter enumerati, sunt nobis tanquam gradus, ut ascendamus ad universalem. Vt: *ignis, aer, aqua, terra*, sunt necessaria; omne igitur elementum est necessarium. *Descensus* è contra fit, cùm à termino communi ad quemque descendimus particularem. Vt: *omne astrum movetur*; ergo Saturnus, Iuppiter, Sol &c. moventur.

SVB-

SUBLECTIO TERTIA.

Prædicabilia, & Prædicamenta. Postrema bonæ Apprehensionis instrumenta.

PORphyrius natione Phoenix, Patrià Tyrius, aut quod tenet nonnemo, Iudæus; Religione Christianà primùm innutritus, ab ea mox iniquissimè defecit; quodquè suxerat à pia matre lac, in venenum expuens, fœdissimum ei nomen adspergere conatus est. Hujus ergo, quem ignis urit, etiamsi recordatio toto esset Lethæo amne abstergenda, tamen viget adhuc, ob eum, quem de *Vniversalibus* Tractatum edidit, cùm Chrysoarij Romani Civis institutionem suscepisset. Quod autem tot ante sæculis tradi consuevit studiosis rerum scientificarum novitiis, ad nos etiam devenit, uniuersisque Doctorum cathedris non sine quodam fastu insèdit. Vsqueadeo & scintilla ingenii obscurà etiam in animà æquè micat, & placet.

Dividitur autem hoc Universale à Porphyrio in quinque terminos, qui sunt secundæ intentionis; hoc est in

Genus, in *Speciem*, in *Differentiam*, in *Proprium*, in *Accidens*; quæ omnia vocant univerſim *Prædicabilia*, eoquòd his quinque modis tantùm res quæcumque communis, aut univerſalis prædicatur. Convincitur autem hæc doctrina ſic.

Poteſt res prædicari, aut ſecundùm eſſentiam, aut ſecundùm accidens. Priori modo, aut dicitur ut eſſentia tota, & inde oritur *ſpecies*: Vt v. gr. *Petrus eſt homo*. Aut dicitur ut pars eſſentiæ: in quo caſu pars iſta, ſeu vaga eſt, ac determinanda, & ſic oritur *Genus*: ut cùm dico; *Petrus eſt animal*. Aut eſt pars activa, ſive determinativa; & ex hoc naſcitur *Differentia*: ut cùm dico; *Petrus eſt rationalis*. Porro ſi quod affirmatur de re, conveniat ei ex accidente; aut convenit ut quid neceſſariò connexum; & ſic habemus *Proprium*: ut cùm dico, Franciſcus eſt riſiuus. Aut conuenit, non tamen neceſſariò connexum; & emergit *accidens*: ut cùm dico; *Andreas eſt doctus*. Quinque igitur erunt *Prædicabilia*.

Ratio verò, cur ea invexerit Porphyrius, & ante Ariſt. Prædicamenta dictaverit Chryſoario, ea extitit; quia dicta jam Prędicamenta cùm intra ſe contineant rationes inferiorum; & ſuperiorum, imò accidentium, & ſub-

ſubſtantiarum, quæ invicem collata, nunc vocantur *genus*, nunc *ſpecies*, nunc *differentia* &c. ut quàmcitò dicetur; neceſſum fuit de hiſce omnibus inſinuare notiones, atque doctrinam. Hinc Porphyrius, & quicumque logicæ rei ſtudia ingrediuntur, quinque iſta Prædicabilia, tanquam manuducant in ea decem Ariſt. Prædicamenta, Iuvenibus tradere conſueverunt.

Ergo Genus dicitur à Porphyrio, *quod aſſeritur de multis, quæ ſpecie differunt, in eo quod quid eſt*. Nimirum ita dicitur de *ſpeciebus*, ut renunciet quid eæ ſint, & hęc bona eſt Generis definitio. V.g. vox *animal* eſt *Genus*, quia conuenit iis, quæ ſpecie diſtinguntur; homini, equo, cani &c. de quibus etiam ità dicitur, ut oſtendat naturam hiſce omnibus inexiſtentem. Equus enim, homo, & canis, verè, ac neceſſariò ſunt animal.

Viſum tamen quibuſdam eſt, non poſſe in communi definiri Genus. Qua in re aſſerenda, mirum eſt quot paginas cumulent. Aiunt enim: aut definitio iſta exerceretur per nouum genus, & ſic abitur in infinitum; aut Genus, quo definitur omne genus, definit etiam ſemet. Vna hæc eſt ex difficultatibus, in qua miſerrimè otiamur. Sin verò nonnemo dicat, Genus ma-

ximum, & abstractum, quo definimus cętera omnia sub eo contenta, manere indefinitum, an vereberis, ne cadat Paripatus? Causa etiam, quæ movet inferiores, ipsa omnino immota manet. Quid ex hoc? Rogo te audeas majora.

Species definitur à Porphyrio, *quod asseritur de multis, quæ differunt numero, in eo quod quid est*. V.g. terminus hic *Homo* vocatur species, quia dicitur de ijs, quæ numero tantùm distinguuntur, ut de Petro, Andrea, Francisco &c. Et sanè fit prędicatio in eo *quod quid est*, seu quæ significat rei essentiam, & quidditatem. Petrus enim, Franciscus, cœterique homines quidditativè, hoc est necessariò, & in essentia sunt in se revera tales.

Differentia vocatur à Porphyrio, *quod asseritur de multis, quæ differunt specie, aut numero in quale quid*; & ea est, ob quam res à re differt. V.g. *rationalitas* est differentia, quia sic dicitur de homine, ut per eam homo à cœteris differat animantibus. Dicitur autem *in quale quid*, nam prædicatum *rationis* attribuitur subjecto ferè adinstar qualitatis, aut accidentis. Quamobrem siquis roget: Qualis est homo? bene respondetur; est ratione donatus. Etiamsi revera esse ratione donatum non sit accidens, aut qualitas in homi-

mine; cùm imò ſit natura, quidditas, eſſentia; & ſic *differentia* prædicatur etiam *in quid*.

Proprium vocatur à Porphyrio, *Quod neceſſariò dicitur de multis, quæ differunt ſpecie, aut numero in quale*. V. g. virtus ridendi quoad hominem vocatur proprium, quia ita eſt hominis, ut eidem conueniat neceſsariò. Et quia tribuitur ad morem qualitatis, à ratione dimanantis, idcirco prædicatur *in quale*, non *in quid*. Hoc enim quod eſt, eſſe riſibilem, non eſt quid primò conſtitutiuum eſſentiæ hominis; verùm ei jam conſtitutæ concipitur advenire ut qualitas.

Accidens vocatur à Porphyrio, *quod aſſeritur de multis, quæ differunt ſpecie, aut numero in quale; ſed contingenter*. Quia nimirum ita rebus contingit, ut queat ineſſe, aut etiam abeſſe citra earundem corruptionem. V.g. *calor, frigus*, & hujuſmodi, ſunt accidentia, quia tribuuntur ut qualitates, quæ rebus contingenter obueniunt, ſeu quę modò inſunt, modò abſunt, integro ſemper manente ſubjecto.

Hac igitur traditâ notione prædicabilium, facimus tranſitum ad Ariſtot. Prædicamenta, quorum cognitio evadet nobis facilior ex jam dictis. Et hæc, ut dicebamus, extitit etiam ſententia Porphyrii, dum Chryſoario ſuo hunc

de Prædicabilibus Tractatum ante cętera concinnavit.

Totam verò Doctrinam secat Arist. trifariam; hoc est in Antepraedicamenta, in Prędicamenta, & in Postprædicamenta, cujus rei causam nos antea innuebamus. Vt igitur iste ordo servetur, notentur hìc statim

Antepraedicamenta.

SUnt omnino quatuor, & vocantur termini secundæ intentionis logicæ, quos dudum secrevimus in *Vnivocum*, *Æquivocum*, *Analogum*, & *Denominatiuum*. De omnibus pauca, & quantum cognitioni vestrę sat erit.

Ergo terminus vocatur Univocus, qui significat unum quid commune; adeout hoc totum inveniatur in iis modo æquè perfecto; non in hoc magis, in eo minùs &c. V.g. terminus iste *animal* univocus est, quia significat naturam animantis æquè inexistentem homini, bovi, cani &c. Non enim canis, aut magis, aut minùs animal est, quàm sit bos, quàm sit homo. Hinc Arist. definit Univoca, *Quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ significata in nomine, omnino eadem.*

Æquivocus è contra dicitur terminus, qui significat plura, non conve-

venientia in natura, ſed nomine tantùm. V. gr. vox iſta *canis* equidem communis eſt multis; convenit enim cani marino, cani terreſtri, & cani ſidereo. Aſt non ſignificat naturam, quæ in jam dictis una ſit, & in qua omnes ęquè conveniant. Canis enim v. g. terreſtris non habet quid commune in natura canina cum marino, aut ſidereo, niſi nomen. Inde Ariſt. definit ęquivoca: *Quorum nomen commune eſt; ratio verò ſubſtantiæ ſignificata in nomine, omnino diverſa.*

Analogus verò terminus dicitur, qui ſub eodem nomine ſignificat diverſa, convenientia in natura, ſed ita tamen, ut non æquo modo eam participent. V. gr. terminus hic *ſanum* ſignificat multa convenientia ſub hoc nomine; ut corpus, quod eſt ſanum; colorem, qui eſt ſanus; pharmacum, quod eſt ſanum &c. Sed hæc omnia, non æquè, ac uno modo ſanitatem habent; imò diverſam omnino. Corpus enim verè fruitur ſanitate; color tantummodo indicat; pharmacum revocat &c. Ex quo Ariſt. definit Analoga: *Quorum nomen commune eſt; ratio verò ſignificata in nomine, partim eadem, partim diverſa.*

Denominatiuus autem terminus dicitur, qui ſuam ſortitur ab alio denominationem. V.g. vox iſta *Rhetor* denomina-

nativa est, eoquòd hominē à rhetorica, quam edidicit, rhetorem denominat. Propterea & rhetorica vocatur *denominans*. Qua in re sciendum est, formam, quæ denominat, esse aut intrinsecam subjecto, aut extrinsecam. Si primum, denominatio etiam dicitur intrinseca. V.g. denominatio Rhetoris intrinseca est, quia sumitur à Rhetorica, existente in eo, quem denominat. Secus autem hæc denominatio v.g. *visi, cogniti, vocati* &c. dicitur extrinseca; quia visio, cognitio, vocatio, sunt formæ non in subjecto denominato, sed extra ipsum. Visio enim, qua v.g. hic murus dicitur visus, est in oculo videntis, non in muro. Inde Arist. vocat Denominativa; *quæ ab aliquo secundùm nomen habent appellationem*.

Prædicamenta.

SUnt quædam cathegoriæ rerum, sive prædicatorum series, quoad subjectionem, & prædicationem, quas inter se res habent. Enumerantur autem ab Arist. omnino decem: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habere*: Suntque omnia uno contenta disthico, in quo singulæ dictiones unum ex ijs renunciant.

Arbor,

Arbor, sex, pueros, calore, refrigerat, ustos,
Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero.

Itaque Prędicamentum v.g. Substantię non est nisi ea series, atque ordinatio prædicatorum, quà substantia dividitur in ea inferiora, quæ habent rationem substantiæ; itaut facta divisione substantiarum, singulæ juxta gradum, sive superiorem, sive inferiorem, sortiantur denominationem ab alia diversam. Ita omnino se habet Prædicamentum quantitatis; cùm æquè bene dividatur in eam, quæ dicitur molis, & quæ vocatur virtutis; in discretam, in continuam &c. Ita quoquè prędicamentum qualitatis, & sic de cœteris. Quoad substantiæ prędicamentum, res in subjecto stemate manifestior est.

	Subſtantia. Summum Gen.	
Corporea diviſ & conſt.		Incorporea diviſ.
	Spec. Corpus. Gen. Med.	
Animatum diviſ. & conſt.		Inanimatum diviſ.
	Spec. Vivens Gen. Med.	
Senſitivum diviſ. & conſt.		Inſenſitivum diviſ.
	Spec. Animal Gen. Med.	
Rationale diviſ. & conſt.		Irrationale diviſ.
	Homo Spec. Atoma.	
Petrus indiv.		Franciſcus indiv.

Hęc igitur ſubſtantię ordinatio, ſive ſeries, in qua vides eam vocari, nunc

nunc summum genus, nunc medium; nunc speciem; nunc divisivam, nunc rei constitutivam &c. dicitur Substantię Prædicamentum. Quocirca manifestum est, has denominationes non esse nisi ens quoddam rationis logicum, sive terminum secundę intentionis, & ideo attinere ad Logicam.

Hic verò agit Aristot. de Prædicamentis distinctim, & signatim, inquirens de substantia, quantitate, ac cœteris, quę nos etiam breviter attingimus; non disputationis gratià, sed ne ignoremus quid hæc omnia sint.

***

De Substantia, ejusquè Proprietatibus.

Dicitur Substantia ens, aut res, quæ naturà suà subsistit, nec indiget subjecto, à quo sustineatur, ut sunt v. g. ignis, aer, aqua, terra &c. Nec obstat huic veritati ea ratio substantiæ, quam dicunt *Formam*, de se non subsistentem, imò indigam subjecti, aut *Materiæ*, in qua subsistat. Nam, ut videbimus, est id commiscere substantiam cum accidente, cui tantùm debetur sustineri, nè cadat. Reijciemus commentum hoc vanum, & omnino metaphysicum in libris Physicorum.

Prima verò substantiæ virtus est, non habere contrarium. Ratio affertur, quia contraria sunt, quæ mutò se se ab uno, eodemque subjecto extrudunt. Verùm si substantia non est in subjecto, à quo fulciatur, quomodo ab eo eiiciet quoquè substantiam? Quamuis enim ignis v.g. videatur contrarius aquæ, hoc non habet ratione substantiæ, sed merè accidentium, virtute quorum rixatur, ut etiam docet Arist. in 2. de Ortu, & Interitu 4.

Secunda substantiæ virtus est, non sumere majus, aut minus. Nec enim

v. gr.

v. g. homo erit unquam, aut magis, aut minùs homo. Quodsi ab Aristot. *prima* substantia dicitur esse magis substantia, quàm secunda, hoc verum est quoad metaphysicam: quatenus in ea continentur gradus, qui non sunt in *Secunda*. V.gr. Franciscus *individuum* habet in se, quod non habet *homo*; homo, quod non habet *sensitiuum*; sensitiuum, quod non habet *vivens* &c. Sed in ratione substantiæ ut substantia est, non invenitur, quæ sit intrinsecè major, aut minor.

Tertia substantiæ virtus est, sumere accidentia contraria non sine mutatione intrinseca. Sic v. gr. manus de rubra mutatur in candidam: quæ mutatio vocatur intrinseca, non quia manus desinat esse manus; verùm quia est subjectum hujusce physicæ mutationis.

***

De Quantitate, ac ejusdem Proprietatibus.

QUantitas est rei extensio, vi cujus unaquęque res constituitur quanta. Extensio autem dicitur, aut virtutis, aut molis; continua, seu discreta; potentià, sive actu; materię, aut accidentis &c.

Quantitas dicta virtutis, consistit in quodam rei augmento, nunc majori, nunc minori, ratione cujus vocatur quis v. g. major, seu minor mathematicus, astronomus, rhetor &c. Quantitas verò molis est magnitudo corporea, ob quam res euadit extensa, itaut metiri eam queamus. Est hujusmodi cubitus, bicubitus, tricubitus &c.

Quantitas continua vocatur, quę partes habet communi nexu iniunctas; ut v.g. manus, marmor &c. Discreta è contra quę habet sejunctas; ut hora quoad sua momenta; exercitus quoad milites &c.

Quantitas potentià est, quę reuera non extendit rem; sed tamen vim habet, ac si extenderet. Sic v.g. dicitur anima nostra esse quanta, non ex eo, quòd reuera ita sit; sed quia vim habet coexistendi rebus etiam extensis, & hoc facit semet replicando, ut constabit

bit in Physicis, cùm de Anima. Contra contingit de quantitate actu.

Quantitas materię consistit in serie partium, quę constant materià, itaut hę omnes teneant locum, & sint extra se inuicem, sicuti est quantitas in manu, in bracchio &c. Quantitas verò accidentis è contra. Frigus enim v.g. certè suam habet quantitatem; sed quotquot constat gradibus, hi sunt omnes in uno, eodem, ac indistincto subjecto, quantumuis minimo, nec tenent locum.

Tres autem enumerantur in quantitate virtutes. Non habere contrarium; non sumere majus, aut minus; & ęquam constituere rem, aut è contra.

Primò quantitas caret contrario, quia ei non opponitur quidquam. Nam etiamsi maximum videatur esse contrarium minimo; major minori &c. hęc, ut ait Arist. non sunt contraria, sed magis respectiua. Dicitur enim res major, eò quia refertur ad minorem &c.

Secundò quantitas non sumit majus, aut minus; & sensus est quoad intensionem, quia ejus duę partes nunquam sunt in uno, eodemque subjecto, nec inuicem se se intra insinuant.

Tertiò quantitas aut constituit rem ęquam rei, aut è contra. Ita v.gr. numerica coęquat numerum numerato; continua cubitum cubito &c.

De

De Qualitate, ac ejusdem Proprietatibus.

QValitas definitur ab Aristot. qua res evadit qualis; & non est, nisi accidens, quo subjectum afficitur, sive mutatur. Ita v. gr. siccitas in materia, virtus in causa, modus, aut figura in re, vocantur qualitates.

Quatuor insignitur proprietatibus: & sunt; habere contrarium; sumere magis, & minus; constituere similem, aut è contra.

Primo habet contrarium. Ita siccitas humiditati, justitia injustitiæ, curvitas rectitudini contrarię sunt. Imò si qualitas activa sit, est etiam causa contrarietatum, quę inter substantias exercentur.

Sumit etiam magis, & minus. Ita rubor, sapor, candor, venustas crescunt, minuuntur, commutantur. Facit quoquè rem rei similem, aut è contra. Sic v. g. iracundus ob iram, qua ęstuat, convenit cum iracundo, & differt à miti; nauus ab ignavo &c.

De Relatione, ac ejusdem Proprietatibus.

MOdum, quo res inter se referuntur, vocant relationem. Hæc autem secernitur bifariam. Prima dicitur categorica, quia continetur in categoria Prędicamentorum. Secunda rei, aut physica, quę vocatur etiam transcendens. Categorica in communi sententia est, aut modus, aut ordo, quo res refertur ad rem. Hinc describit eam Arist. *Cujus esse, totum est se habere in aliud*. Utrùm verò debeat hoc censeri entitas, aut forma, seu quidquam in re, à subjecto distinctum, arbitror quòd non ita. Relatio enim categorica non videtur esse nisi accidens metaphysicum, quod etiamsi verè non sit in subjecto, tamen hoc denominat. V. gr. Paternitas denominat sanè patrem, non quia in homine sit quid actu, physicè, ac re distinctum: verùm quia ex actione generativa meretur quis, ut cognoscatur, & nominetur pater, imò etiam ordinetur in filium. En quomodo hęc ordinatio à nobis omnino exoriatur, & (excepto actu generativo) non sit quidquam in re, aut dimanans, aut inter extrema resultans; sed unica mesitis nostrę actio, rem denominans,

&

& referens. Transcendens verò tota se habet è contra. Est enim intrinseca rei, quę ordinatur, seu refertur; & censeo vocari transcendentem, quia hęc in ipsum esse rei transcendit, neq. ab ea distinguitur. Consistit autem tota in intrinseca dependentia, quam habet res, itaut si hęc adimatur, etiam res interitura sit. Ita v.g. creatura refertur ad Creatorem, quia si hoc in ea desit, iam creatura non erit. Sic refertur cognitio in cognitum, quia necessariò, & intrinsecùs est ipsa imago rei cognitę, adeout si hęc ratio auferatur, etiam cognitio cesset.

Relatio verò non unam habet proprietatem. Dicitur enim gerere contrarium; sumere magis, atque minus; esse mutuam inter fundamentum, ac terminum; quę duo, tam cognitione, quàm naturà sunt simul.

Primò igitur habet contrarium, quę contrarietas versatur inter conuenientiam, & disconuenientiam. Idcirco sumit etiam magis, ac minus, quia res cum re potest habere nunc maiorem, nunc minorem similitudinem.

Secundò est mutua. Non enim .a. refertur ad b. nisi & b. remeet ad .a. Sic v.g. Pater habet ordinem ad Filium, & hic etiam ad Patrem. Ex quo nascitur,

tur, ut quę inuicem referuntur, unà sint etiam naturà. Non enim quis erit verè Pater, nisi detur & Filius; neque hic unquam dabitur, nisi quoquè concedatur & Pater.

Tertiò ea, quę inuicem referuntur, sunt cognitione, imò etiam definitione simul. Res est in comperto. Non enim queunt cognosci, aut definiri seorsim. Ita v.g. si cognoscas, aut definias magistrum, debes attingere discipulum; si cognitionem, debes attingere cognitum &c.

De cœteris Prædicamentis, eorumque Proprietatibus.

PRima sunt Actio, & Passio. Eam sic definit Arist. *est actus hujus in hoc.* Nimirum est motio quædam in causa, qua verè attingitur subjectum; & ideo causa cùm agit, dicitur etiam intrinsecè moveri erga rem. Passio verò definitur ab eodem *Actus hujus ab hoc.* Nimirum est actio eadem, non ut manans à causa, sed ut in subjecto terminata. Quamobrem hęc non sunt revera duo, nisi quoad terminos. V.g. irradiatio si consideretur ut ab astro, vocatur *actio*; si ut in re terminata, dicitur *passio.* Quemadmodum ergo via, quæ Athenis ducit Thebas, una est omnino, ac ea, quę Thebis vergit Athenas; ita &c.

Di-

Dividitur autem actio in immanentem, ac transeuntem. Ea est, quę oritur in agente, itaut maneat in eodem. V.g. visio, amor, cognitio. Transiens verò facit quid extra causam, unde oritur, atque movet subjectum ab ea distinctum. Sic irradiatio, frigefactio, & hujusmodi sunt actiones omnino transeuntes, quia tangunt rem extrinsecam, eamque movent.

Sequuntur *Vbi*, & *Quando*. Ubi existimatur in communi sententia esse accidens, aut forma quędam intrinseca rebus, virtute cujus constituuntur in loco. Ita nos constituimur Venetijs, ab ubi Veneto; Romani Romæ à Romano; & ita quidem, ut si deesset hoc *vbi*, seu forma in re intrinsecùs orta, nequeamus esse aut Venetijs, aut Romæ, aut Parisiis &c. Quæ sententia utrùm vera sit, constabit in Physicis.

Duo sunt *vbi*, aut duæ *ubicationes*. Definitiva, & ista convenit rebus, quæ non habent materiam. Sic anima nostra constituitur in nobis mediante *vbi* definitivo, quia hoc non coarctat animam intra quosdam terminos. Ea enim ita existit in subjecto, ut existat tota in toto, ac tota in omni parte totius; imò si subjectum extendatur magis, eadem in eo toto adinuenienda sit: & hoc facit beneficio replicationis, quæ

na-

naturà suà convenit rebus materia carentibus. Secundum *ubi* vocatur circumscriptivum: & virtute istius ubicantur ea, quę habent materiam; itaut intra quosdam terminos circumscribantur, & nequeant constitui ad majores. Hoc modo v. g. existo ego in ista cathedra &c.

Quando, ut ajunt, est forma, sive accidens, vi cujus dicimur esse, aut in hac, aut in ea temporis differentia. Ita v. gr. qui durat integrà horà, dicitur hoc habere à *quando*, sive à forma horaria, quę sit sivè hodierna, sive crastina, juxta quod res manet in esse, aut durat. Et hoc durare vocant rei *durationem*: Quę utrùm sit quid, à re durante, ac tempore distinctum, constabit suo loco.

Mox *duratio* abit in trinam. Prima dicitur *æternitas*, quę caret initio, ac fine, ut in Deo. Secunda *æuum*, quod habet initium, non terminum, ut in anima humana. Tertia *tempus*, cui & initium, & finis assignatur, ut in homine notum est.

Postremò manent *situs*, & *habere*. Situs est quędam series, aut coordinatio partium in loco, virtute cujus dicitur quis, aut sedere, aut stare, aut jacere: unde concessum est non mutare situm, etiamsi mutetur locus; quemadmodum si tu v. gr. sedens in cimba deveharis

Mu-

Murianum. Habere autem est accidens Logicum, seu denominatio, qua nunc dicimur habere vestem crumenam, agrum &c. Quia verò non potest quis habere ista, si non sit subiectum, & sanè individuum, sive signatum, subdo hìc naturam Individui, quod in Substantię categoria continebatur.

Definitur ergo Individuum, *cujus proprietatum series nunquam erit eadem in alio*. Describuntur autem isthęc hoc disthico.

Forma, Figura, Locus, Tempus, Cum Nomine, Sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

Diversa ratione utitur S. Thomas 1, p. q.29. ar.3. in eo definiendo. Ait enim: vocatur *individuum, quod est indivisum in se, atque divisum à quavis alio*. Nimirum quod habet in se unitatem sive indistinctionem naturæ, qua constituitur unum actu, & à quocumque divisum. Ita Petrus v.g. vocatur *Indivisus*, quia reuera unus est in se, à cœterisque omnino distinctus. Et hęc est ratio communis, qua omne individuum, cujuscumque sit naturæ, satis definitur.

Post-

Postprædicamenta.

PHilosophus ubi egit de Prędicamentis, divisim, & singatim consideratis, excogitat nonnulla, quę ab iis ut accidentia, & proprietates eorum consequuntur. Sunt autem hęc numero quinque: *Oppositio*, *Prius*, *Simul*, *Motus*, & *Habere*; quæ omnia consueverunt vocari *Postprædicamenta*. Quòd verò ea sint ferè accidentia Prædicamentorum, constat; nam & Oppositio, & Prioritas, & Simultas videntur convenire omnibus. Convenit *Oppositio*; quia prędicamenta inter se diversa sunt, & ratione differentiarum, quę manent invicem contrariæ, opponuntur. Secundò convenit eisdem & *Prioritas*. Nam in quocunque illorum distinguitur Genus, & Species: at Genus est quodammodo specie anterius, & prius. Tertiò convenit ijs etiam *Simultas*; quia tam genus, quàm species dicuntur esse uno, eodemquè tempore, hoc est *simul*. *Motus* etiam convenit substantiæ, quantitati, qualitati, & ubi, quę omnia mutari queunt, aut generatione, aut accretione, aut affectione, aut latione, ut c. patet. Demum *Habere* consequitur maximè

ad substantiam, cui convenit habere accidentia &c. Sed hìc de singulis agendum manet.

De oppositione.

Itaque oppositio secatur ab Aristot. quadrifariam. Dicitur enim, sive Contraria, sive Contradictoria, sive Privativa, sive Relativa. V. gratia siccum, & humidum contrariè; affirmatio, & negatio contradictoriè; cęcitas, & visio privativè; totum, & dimidium relatiuè opponi dicuntur.

Ea verò sunt contrariè opposita, quę ita se habent ad inuicem, ut mutuò ab uno, eodemque subiecto semet eiiciant. V. g. siccitas, atque humiditas contrariæ sunt, quia hęc à subjecto extrudit illam, & è contra. Qua in re adnotandum est, quędam esse contraria, quæ medium habent positiuum; & quędam esse, quæ carent eodem. Ea carent medio, quæ unum habent extremorum necessariò in subjecto, in quo fiunt, & de quo predicantur. V. g. quia in animante necessariò est, aut ęgritudo, aut sanitas; ideo sanitas, & ęgritudo ita sunt contraria, ut medium non habeant positiuum. Consimiliter, quia numerus est necessariò, aut par, aut impar; idcirco hęc duo ita contraria sunt, ut

omnino careant medio. Secus verò inter ea contraria datur hoc medium, quę ita se habent, ut unum ex iis non sit in subjecto necessariò. V.g. non est necesse, ut manus mea sit frigida, sive calida; cùm bene queat habere teporem. Ideo calor, & frigus ita contraria sunt, ut inter ea dari possit medium. Æquo modo cùm homo non sit necessariò justus, aut necessariò iniustus, inter iustum, atque injustum dari potest medium; videlicet qui nec justitiam habeat, neque injustitiam. Nota verò hìc, medium inter contraria modò habere nomen, & modò non ita. Si medium careat nomine suo, definitur per extremi utriusque negationem. V.g. medius inter justum, atque injustum dicitur, qui nec justitiam habet, neque injustitiam.

Opposita contradictoriè sunt, quę dicunt affirmationem, atque negationem unius, de uno, & omnino eodem. V.g. *est*, *non est*; *vivit*, *non vivit*; *graditur*, *non graditur* &c. In quo advertendum, contradictoria ita enunciari de re, ut ei utrumque convenire simul non queat; sed unum tamen contradictoriorum convenire omnibus debeat. V.gr. nulli rei convenire simul possunt; *esse*, *non esse*; *vivere*, *non vivere*; *gradi*, *non gra-*

gradi &c. E contra verò necesse omnino est, alterum ex his convenire *omnibus*. Etenim de quocumque affirmare debes; aut *esse*, aut *non esse*; aut *vivere*, aut *non vivere*; aut *gradi*, aut *non gradi* &c. Hinc vides, inter ea, quæ contradictoria sunt, non esse medium.

Privativè opposita vocantur ea, quæ dicunt formam, & privationem ejus in subjecto apto ad utrumque in sensu diviso. Talia sunt v.g. cęcitas, & visio; quia visio est forma, cęcitas verò privatio ejusdem. Et quidem hæc duo esse debent ratione oculi, qui antequam cęcus evadat, sit capax visionis; alioquin non bene diceretur habere cęcitatem. Sic. v. g. canis recenter natus, etiamsi careat visu, non dicitur cæcus, quia ut ait Aristot. tunc habere visum adhuc non debet. Verùm si non habeat cùm debet habere, tunc cęcus verè, ac jure merito enunciatur.

Opposita relativè sunt, quę ita se habent, ut extremum referatur ad extremum. V. gr. *Pater*, & *Filius*; *cognitio*, & *cognitum*; *creatura*, & *Creator*, dicuntur relativè opponi, quia inuicem, & mutuò referuntur. Nec enim esse potest v. g. filius, quin ordinem habeat erga Patrem; cognitio, quę non tendat in cognitum;

crea-

creatura, nisi ordinetur ad Creatorem. Dicuntur verò hęc opponi, quia extremum contra extremum quodammodo statuitur. Hæc opposita differunt à cœteris, ut docet D. Thom. quia cœtera ita se habent, ut unum dicat negationem alterius. Contraria enim extrudunt se à subjecto; Contradictoria sese invicem negant; Privativa se mutuò destruunt. Verùm relativa, eoquòd inter se opponuntur, se quoquè in rerum natura constituunt. Pater enim opponitur filio; non ex eo tantùm, quòd nequit esse Filius ejusdem; quin imò ex eo, quòd ipse constituit, & verè dat esse Filio.

De Prius.

Prius, aut Prioritas est omnino Sexduplex. Prima vocatur *Prioritas temporis*, qua unum tempore antecedit aliud. Sic v. gr. Pater antecedit filium tempore, quia est, vivit, & agit, antequam filius, & sit, & vivat, & agat. Secunda vocatur Prioritas quoad subsistendi *consequentiam*; & sic dicitur esse prius alio, quod infertur ex illo; non è contra. V. g. quia ex homine bene infertur animal, non verò è contra; dicitur animal esse priùs homine, non hominem priùs quàm animal. Tertia Prioritas est *virtutis*, & in hoc ge-

 nere

nere vocatur prius, quod virtute, gratià, nobilitate antecedit. Quarta est prioritas *Ordinis*; quemadmodum v. gr. dux in acie, cervix in corpore, Antistes in Clero &c. Quinta vocatur Prioritas *naturæ*, qua causa præcedit effectum. Sic. v. gr. Sol antecedit lucem. Unde quamquam causa, & effectus, uno, eodemquè momento sint; id tamen, quod effectus est, dicitur esse naturà posterius; & causa prior. Sexta prioritas dicitur *originis*; & ea est, qua se Personę in Divinis antecedunt. V. g. Pater æternus prior est origine Filio æterno. Vbi adverte, hoc esse discrimen inter prioritatem *naturæ*, atque *originis*, quòd ea est cum dependentia effectus à causa; hęc autem non ita. Et ratio affertur, quia causa dat effectui esse aliud, atque dependens. Verùm in Divinis Pater Æternus non dat esse aliud, sive diversum Filio, sed esse suum verè idem, atque indistinctum; communicat enim Filio naturam in rigore unam, quæ cùm sit sua, est quoquè independens. Et jam constat ex dictis, quot etiam modis aliquid vocari debeat posterius.

De

De simul.

Dicitur *simul* tribus omnino modis. Primò est eorum, quę sunt unitim tempore, aut generatione; hoc est quæ uno, eodemquè momento nascuntur. Sic v. gr. sidus, atque radius dicuntur esse simul; quia sidus etsi naturà sit prius, attamen generatione, ac tempore habent simultatem.

Secundò est eorum, quæ sunt simul naturà: hoc est quæ mutuam habent consequentiam; ita ut ambo se mutuò inferant; sed neutrum tamen causa sit alterius. V.g. *major*, & *minor*. Tenet enim consequentia: *Est major; ergo datur & minor: Est minor; ergo datur & major*. Neque tamen qui est major, causa est, ut sit minor; neque minor, causa, ut sit major.

Tertiò est eorum, quæ sunt membra cujuspiam generis inter se divisa. V.gr. quia hoc genus *animal* dividitur in aqueum, terrestre, ac aereum, species istæ inter se collatæ dicuntur esse simul naturà. Quamvis enim Genus *animal* à subsistendi consequentia sit prius, membra dividentia sunt simul, quia nec mutuò inferuntur, neque inuicem dependent.

Postremò esse *simul* dicitur & eorum, quæ sunt in uno, eodemque loco; v.g. in gymnasio: quæ unam constituunt ex integro actionem; ut cùm plures unam trahunt navim: quę gradum habent, seu parem dignitatem &c. Sed non assignat Aristot. nisi tres jam dictos, ut qui omnium proprijssimi sunt.

De Motu.

Species motus enumerantur quinq. omnino. Nimirum *generatio*, & *corruptio*, qui sunt motus ad substantiam. Enimvero quandocumque substantia de non esse movetur ad esse, motus iste vocatur generatio; & è contra cùm ab esse transit ad non esse, dicitur corruptio. Secundò est *augmentatio*, & *diminutio*, qui sunt motus ad quantitatem. Res enim quoties augetur, fit magis quanta; sicut è contra dum minuitur, detrimentum patitur quantitatis. Tertiò est *Alteratio*, qui vocatur motus ad qualitatem. Ut v.g. cùm res, aut acquirit, aut amittit accidentia, quorum adventu, sive recessu evadit in alteram. Sic manus mea modò habet frigus, & modò non habet; aer modò siccitatem, & modò humiditatem; aqua modò amarorem, & modò dulcorem. Ad quæ accidentia quotiescunque transitur, subiectum sine

ſine mutatione, aut ſubſtantiæ, aut quantitatis evadit alterum. Aer enim v.g. quoties ab eſſe humido movet ſeſe ad eſſe ſiccum, dicitur fieri alter ab eo, qui erat. Poſtremò datur motus ad *ubi*; & eſt quando res de loco tranſit in locum.

De Habere.

Octo modis haberi res conſuevit. Primò quando ſubjectum habet in ſe, aut qualitatem, aut habitum; ut v.g. virtutem, artem, ſcientiam &c. Secundo cùm habet quantitatem, ratione cujus dicitur eſſe tantæ ſtaturę, ſive magnitudinis; ut cubiti, bicubiti, quadricubiti, & ſimilium. Tertiò quando habet quidquam ſibi adiacens; ut v.g. tunicam, veſtem, & hujuſce generis. Quartò cùm res, quæ adiacet, uni tantùm parti adhęret; quo modo habet quis annulum in digito, crucem ad thoracem &c. Quintò cùm res, quæ habetur, eſt vera pars integrativa ſubjecti, quod eam habet: Sic v.g. dicitur quis habere manum, habere pedem. Sextò cùm res habita geritur, ut in vaſis: Ita modius triticum, & amphora vinum habet. Septimò cùm res habetur poſſeſſione, aut dominio: Hac ratione dicitur quis habere domum, agros &c. Octavò cùm re aliquà utimur,

Tunc enim dicimur habere ipsam
Ita v. gr. uxoratus habet uxorem
eques equum, & hujusmodi alia
Hi verò sunt modi potissimi omnium habendi, atque in hisce Aristot. doctrinam suam de Prędicamentis concludit.

***

L E-

LECTIO SECVNDA.

De Iudicio.

PActà Terminorum Apprehenſione, cognitaquè diversà, & affectione illorum, & habitudine, non ibi hæret humana mens; verùm quęcunque apprehendendo attigit, ea etiam aut connectit in affirmatione, aut in negatione abjungit: Qui modus operandi vocatur *Iudicium*. Et hic etiam Tractatus eſt, quem Ariſtot. inſcribit *Peribermenias*; nimirum de *Interpretatione*, aut mentis *Enunciatione*, quod omnino idem eſt. Enimverò cùm intellectus edidicit formare conceptum de rebus, ut jam denominatis, in quo ſtatu vocantur termini ſecundæ intentionis; deſcendit in ſecundam ſui operationem, enunciando ea, quæ ante fuerant merè cognita. Et quia *Enunciatio*, ut diximus, idem eſt ac *Iudicium*; non im-

meritò nos antemissà ratione bene , atque ordinatè apprehendendi (quę res, ut dicebamus, fit maximè beneficio Prædicamentorum) venimus hoc loco ad *Iudicium* , in quo tractatu ea omnia videbimus , quę ad hoc ipsum ritè concinnandum bene conducunt.

Est itaque Iudicium intellectus nostri actus , quo determinatè rem esse dicimus, aut non esse , affirmando , sive negando . Vt v.g. si judicet quis : *Homo est discursivus : Homo non est Angelus* &c.

Habet judicium pro sua insigni affectione *Veritatem*. Et Iudicium est verum , quandocumque sic judicat intellectus quemadmodum res est ; unit affirmando , quę unita revera sunt ; separat negando, quę abjuncta inuenerit &c. Falsum verò judicium vocatur , quando è contra sive affirmat, sive negat in diversum , atque res est.

Ubi videtis , egere Iudicium suà regulà , qua in veram , atque conformem rei notitiam ducatur, neque adstruat quæ non sunt , seu diverso modo , quàm quo se habent . Propterea juxta nostræ normam œconomię subiiciemus hìc ea instrumenta , quæ intellectum ad bene judicandum non ægrè promoveant . Quoniam

niam verò, ut ante innuimus, Iudicium est ipsa mentis enunciatio, scribatur.

SUBLECTIO PRIMA.

Monita quædam, bonæ enunciationis instrumenta.

MOnitum primum. *Ante diligentem, & exactam rei, quæ tractatur, cognitionem, non enunciato.* Accidit enim, ut judicia hominum sint erroribus obnoxia, & non raró distorta, eoquòd apprehensio in transitu, & sobriissimè res attingat, necnisi ad extrinsecum deveniat. Nam hoc modo intellectus, qui merè judicat quidquid ei antecedens cognitio fermè præparaverit, æquam de rebus, congruamquè sententiam ferre nequit. Sicut ergo Judex cùm ab oratore non habuerit rem satis detectam, animo hæret; aut si tunc decernat, periculum adit erroris; ita humana mens, cui quædam notiones claram, intimamquè rei notitiam non effecerint, aut omnem debet judicii actum arcere; aut judicando, perperam, & incongruen-

ter enunciat. Atqui jam inuexit Logica satis utilem de terminis Tractationem, ob id à nobis antemissam, ut quodam facto ad bene apprehendendum ingressu (*cognoscimus enim tantò meliùs, quantò extiterit fusior expositio*) ad bonum quoquè judicium erudiamur.

Monitum secundum. *Axiomata, quæ vulgò circumferuntur, non statim ut vera enunciato*. Aliqua enim dicta subitam sibi fidem inter homines conciliarunt, seu veriùs prȩoccuparunt, quȩ si ad examen vocentur, videbis non habere, nisi fucum veri, quem suus Auctor iis affinxit; non minùs atque chymia speciem auri, argentive rebus allinere consuevit. Cujus quidem rei tres omnino esse causæ videntur: *Nimia reverentia in Antiquitatem; Auctoritas Personarum; & Credentia Discipulorum*.

Antiquitatem sanè veneramur omnes, quia maximùm à nobis distat. Nec enim anteactæ vitȩ philosophis ægrè accommodaveris quod ait Plin. de smaragdis 47. 5. *videri è longinquo speciosiores*. Quasi tota vetustas locuta de Tripode sit; neque magis in una Dodone, quàm in omni Athenæo e nata fuerint oracula. Sed enim res est notissima, quàm

fœ-

fœdè quidam erraverint, quos nostra hæc ætas à longè auditos veneratur; imò quàm facilè in nos etiam errata miserint sua, & commendaverint. Equidem Tertullianus à Veteribus usque Astronomis eam sententiam edidicit, nequire Solem in domo sua, hoc est in signo Leonis obscurari; ferè ac nimiùm temerè actura esset Luna, si tunc objectu suo diurnum hoc astrum fœdaret. Quocirca, ut scribit ad Scap. cùm ejus defectum in eo etiam domicilio nescioqua die intueretur, non ita se cohibuit, quin voce contentà exclamarit; *non potuisse hoc effici ex ordinario deliquio*! In ea verò re quis non videat errasse Auctorem ex nimia veneratione in Antiquitatem?

Auctoritas quoquè personarum trahit quandoque in errores, dum liberam mentis humanæ vim intra quasdam opinandi angustias adigit, & quodammodo cogit. Sic omnino quia unus, aut alter summæ vir æstimationis, & famæ, contranixos emisphærio nostro Antipodas abnegavit, Zonamquè Torridam ex nimio æstu habitatoribus desertam fecit, huic ipsi rei diuturna olim fides adhibita est. Audi Firmianum in cap. 24. *Quid ij, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas tenent?* Mox irridendo, & sub-

ſannando inquit. *Et miratur quis inter ſeptem mira Penſiles narrari hortos; cùm Philoſophi, & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles faciant?* Mox reiicit argumenta, & rationes, unde Seniores exiſtere antipodas conuincebant. Quos tamen Viri conatus, atque ſententias an neſcis jam eſſe vaniſſimas, cùm ſcias revera inferam Orbis partem gentibus habitari, arboribus conſeri, montibus eminere, aruis conſterni, æquè omnino ac noſtram? Erravit ergo Lactantius, cùm Antipodas quaſi monſtruoſæ famę homines extulit. Qui error bene vides, quàm facilè ortum duxerit à Perſonarum auctoritate, cui & Auctor iſte non exiguum tribuebat. Verùm quot ea ſunt, quæ licèt ratio, & experientia in contrarium oſtendant, fixa tamen nonnullis hærent, quia hominum traditio ad ita opinandum traxit?

Demum facilis Auditorum credentia inſtar fluminis extitit. Quidquid enim, ſeu leve, ſeu vanum à Magiſtris accepit, ad nos etiam devexit. Quot ſententię, grandi ore, concinnato geſtu, contractaquè fronte dicuntur, quas quia Juvenes facilè credunt, etiam tenent? Sed ij credant, quorum ingenia craſſiora, quibuſque impreſſionibus accommoda ſunt.

Cœ-

Cœteri omnes, qui bonę mentis censentur, hasce notas aliorsum ire sinant, ne sibi hæreant. Nam quemadmodum ait Seneca 1. nat. quæst. *Meteorum formæ crassis, spissisque corporibus imprimi solent; in subtilibus verò non habent ubi consistant, aut hæreant*; consimili ratione si quidquid nobis etiam vulgò acceptissimum commendatur, haudquaquam illico assumendum est, sive mordicùs tenendum; verùm expensis accuratè rationibus videndum manet, unde res veniat, quibus arrideat, cur credatur &c. Nisi tam pingues videri velimus, ut fœcem quamcumque vix ad nos ejectam retineamus. Quòd siqui ea omnia crediderint, quæ tanquam axiomata circumferuntur, necessum erit, ajebat Firmianus in 3. cap. 24. ut in consequentibus *defendant omni modo, quæ ridicula sunt, neque rebus congruunt*.

Monitum tertium. *Si quam efformaveris enunciatio de rebus, constiterit falsa, seu dubia, eam novo judicio emendato*. Enimverò maximum arbitror esse obicem veritati, velle judiciis nostris obstinatissimè fidere; ac ne videamur errasse, tueri errorem. Quę pestis tam affecit nonnullos, ut etiamsi noverint, sese dubia, incongrua, & absurda pronunciare; attamen

men quod ante sic judicarunt, etiam defendunt; putantes ignominiosum, si errata novà emendatione correxerint. Quasi nos esse ingeniosi non videamur, si tunc ingeniosi non extiterimus, cùm adhuc esse rudes cogebamur. Quot verò mihi jam inuenies eorum, qui v. gr. materiam Aristot. habent in sinu suspectam, & vocibus, & nisu, & contentionibus tueri volunt? Quot ij sunt, qui magnum hoc æthera moveri, atque fluere norunt, à quibus tamen propugnatur ut solidum? Quot hucusque in manifesto habent, esse Solem igneà naturà donatum, quamuis rem tueantur in oppositum? Quibus certè sententiis dici vix potest, quàm obstinatè adhęreant; consimiles marinis ostreis, quæ ut fert Aristot. 1. de anim. Hist. cap. 1. *saxis affixæ vitam omnem traducunt*. Nam hi quas aliquando cautes amplexati sunt, deserere nunquam volunt. Quod sanè prejudicium siquis dixerit à nimia quadam æstimatione sui exortum, arbitror non erraturum. Fœtus enim suos credunt aliqui non esse *artis*, quę incrementa dietim capit; sed *naturæ*, cujus industria semper adulta, & gemmas, & herbas, & animantes, & quoduis aliud summi artificij opus ęquè ab initio, &

post.

poſt elaborat. Unde oritur, nunquam ut hi faciant ſuis doctrinis augmentum; inquiſitioni rerum non ſtudeant unquam; & nunquam ab experientiis ſubſidium quærant. Sicut enim in celebri quondam ſtatua, recedentibus à *capite* rudis tandem, & cœnoſa *teſta* occurrebat; non ſecus hi quoties à prima philoſophandi conſuetudine abire decernerent, in deterius autumant ſe abituros. Tu ergo quidquid enunciaveris, per aliud quoquè judicium, ſi res ita exigat, corrigito; donec maturiùs, & congruentiùs ad veritatem, enunciare valeas.

* * *

SVB.

SUBLECTIO SECUNDA.

Alia bonæ enunciationis Instrumenta; ejus Definitio, & Divisio.

SEd ut prima enunciatio benè fiat, necessarium arbitror videre hìc statim ex ejus definitione, quid illa sit, quotque modis construi possit; quæ res etiam ab ejus definitione constabit.

Enunciatio ergo definitur *Oratio perfecta, quæ verum, aut falsum enunciat*. Seu si mavis; est *Alicujus affirmativa, sive negativa oratio de aliquo*. Nam revera in enunciatione, aut de subjecto affirmamus prædicatum, aut negamus.

Quoniam verò enunciatio, sive propositio duobus constat; *nomine* videlicet, ac *verbo*, quibus contexta migrat in *Orationem*; de hisce tribus hìc tractatio institui solet, à quibus brevissimè vos expedio.

Dicitur nomen ab Aristot. 1. Periher. cap. 2. *vox, ad placitum, significativa, sine tempore, cujus nulla pars divisim significat*. Primò est *vox*;

nam

nam conuenit cum ſonis cœteris animalium. Secundò *Significativa*; ut diſtinguatur ab inconditis beſtiarum vocibus, aut etiam hominum, quę non habent ſignificationem. Tertiò *ad placitum*; quia non extat nomen, quod ſuà naturà ſignificet; ſed hoc fit ex placito gentium. In quo ſenſu diſtinguitur etiam à ſuſpiriis, atque gemitibus, quę voces quidem ſignificant, ſed naturaliter. Quartò *Cujus nulla pars diviſim ſignificat*. Si enim v. g. vox iſta Franciſcus aſſumatur ſecta in *Fran-ciſcus*, non habet ſignificationem. Qua in re tamen aduerte, nomen aliquando eſſe compoſitum; & ſanè tunc etiamſi aſſumatur diviſim, aliquid ſignificat. V. g. hoc nomen *Reſpublica*, ſi dimidium hinc, atque inde ſecetur, dicendo *Res-publica*, certè ambę dictiones aliquam retinent ſignificationem. Attamen quia non idem ſignificant, quod unitim, idcirco Ariſt. definivit nomen, *cujus nulla pars diviſim ſignificat*. Quintò dicitur *ſine tempore:* quæ verba cùm videantur ingerere difficultatem,

Sciatis oportet, hæc tria; *Significare tempus; Connotare tempus; & ſignificare cum tempore*, diverſa eſſe omnino. Nam ſignificare *tempus* dicitur vox, cùm ſignificat aliquam tem-

temporis differentiam verè determinatam ; ut *hora*, *dies*, *hebdomada* &c. Connotare tempus dicitur vox, cùm significat actionem , sed cui quam tempori annexam ; ut *cœna* , *jentaculum* &c. Demum ea significat cum tempore , quandocumque significat actionem , quę aut pręterito , aut pręsenti , aut futuro tempore fit : Ut v. gr. video , vidi , videbo . Hę siquidem voces non tantummodo tempus aliquod connotant ; sed verè , atque immediatè consignificant .

Nomen igitur quamquam significet modò tempus , ut *hora* ; modò connotet , ut *cœna* ; dicitur tamen *sine tempore* , quia non indicat , siue pręteritum , siue futurum , sive pręsens ; verùm ab hisce omnino abstrahit significatum . Si enim v. gr. dicam hæc nomina *Sol*, *Homo*, *Astrum*; non dico tempus , quo aut Sol oriatur , aut huomo discurrat , aut astrum cadat &c.

Verbum definitur ab Aristot. 1. Periher. cap. 3. *Vox ad placitum , significativa cum tempore , cuius nulla pars divisim significat , & est eorum , quæ de altero dicuntur , nota* . Plura in hac definitione intelliguntur ex antedictis . Duo tantùm admoneo . Primò verbum significat cum tempore , quia in-

indicat actionem alicui tempori determinato affixam; ut *curro*, *scribo*, *amo* &c. qua in re differt à nomine, ut dicebatur. Secundò verbum est nota eorum, quę de altero dicuntur; quia manifestat, quid conueniat rei, aut disconueniat. Si enim audias v.gr. *sidus*, & nil pręterea subiungatur, haudquaquam scis, quid ei conueniat. Verumtamen si addas verbum, dicendo *sidus micat*, bene capis conuenire sideri nescioquem tremorem, aut scintillationem.

Oratio definitur ab Aristot. 1. Periher. cap. 4. *Vox significativa, cuius partium aliqua deiuncta significat*. Constat enim iis terminis, qui soluta etiam propositione aliquam retinent significationem. V.g. si dixerim: *Luna est opaca*, bene cognoscis, quid ego sentiam, imò quid etiam sit de hoc astro. Sin verò easdem voces inuicem separes, adhuc *Lnna* significat *astrum*; & *opaca* innuit carentiam innatæ lucis.

Secatur autem oratio in *Perfectam*, atque *Imperfectam*. Ea gerit sensum omnino completum; ut v.g. *terra tremit*. Hæc autem non ita; ut *si Deus vellet*. Nam sic enunciando, mens adhuc non capit, quid futurum esset, si Deus vellet. Rursus oratio Perfecta subdividitur in *Enunciativam*, &

non Enunciativam. Prima est, quæ dicit rem affirmando, sive negando, itaut certò capias, veram esse, aut falsam. Vt v.g. *vitrum est diaphanum*. Secunda conuenit cum imperfecta, quia nec veritatem habet, sed neque caret; unde in ambiguo, ancipitiquè sensu relinquit. V.g. si dicam: *Fac studeas; revertere domum* &c. In his enim enunciationibus quid verum sit, quid non verum, nullatenus indicatur. Quocirca vocantur etiam orationes optativæ, quæ dicentis affectum, seu voluntatem indicant; non enunciativæ, quę mentis judicium, aut verum, aut falsum enuncient.

Enunciationis Diuisio.

PRima fit in eam, quæ universim *de primo, secundo, atque tertio adiacente* vocatur. Etenim si enunciatio tribus omnino constet, subjecto, attributo, & verbo; hanc de tertio adjacente vocare solent. Si duobus constet, nimirum subiecto, & verbo; de secundo adiacente appellant. Si uno demum constet verbo; de primo adjacente dicunt. V.g. *Ego sum docens*, enunciatio est de tertio adjacente, quia in ea tria omnino exprimuntur. Hæc autem: *Ego doceo*, est de

de ſecundo, quia verbum gerit vicem & attributi, & connexionis. Iſta demum: *Doceo*, vocatur de primo adjacente, quia verbum in ſe continet ſubjectum, attributum, & connexionem inter utrumque, ut conſideranti manifeſtum eſt.

Secunda fit in *Simplicem*, atque *Mixtam*. Ea dicitur etiam *cathegorica*: & eſt, quæ uno conſtat verbo; ut *nix cadit*. Mixta duobus verbis conſtruitur; ut *nix cadit*, & *urit*. Hoc autem non uno modo contingere poteſt. Siquidem aut enunciatio duo habet verba ſine conditione; ut v.g. *Petrus tacet*, & *ſtudet*: aut conditionatè; ut *Si ſol eſt*, *dies eſt*. Iſta verò dicitur *hipothetica*, ſeu *conditionalis*. Et hìc nota, dari enunciationes, quæ videntur ſimplices, cùm revera mixtæ ſint. Hujuſmodi ſunt, quæ terminum habent connotatiuum, ſiue adiectiuum. Vox enim connotatiua præter ſe, ſignificat quidquam aliud. V.g. *Iuſtus orat* eſt enunciatio mixta, quia facit hunc ſenſum: *Qui eſt iuſtus*, *ille orat*.

Tertia fit in *Abſolutam*, & *Diſiunctivam*. Prima enunciat rem determinatè, cathegoricè, abſolutè: v.g. *Franciſcus equitat*. Secunda è contra non dicit rem hoc modo, verùm ſub diſiunctione; itaut non

red-

reddat sensum verè unum, ac determinatum, ut hæc: *Petrus, aut dormit, aut vigilat*. Ubi aduerte, inter extrema disiuncta requiri, ut non detur medium, alioquin enunciatio non erit vera. V.gr. si dicatur: *Petrus aut currit, aut sedet*, neganda est, quia fortasse tunc stat, in quo casu neque currit, neque sedet. Secundò notetur, extrema disiuncta debere inter se quandam gerere disparitatem; secus disiunctiva non erit bona. V. g. ista: *Petrus aut est animal, aut sensitiuus*, negari debet. Nam quia idem est omnino sensitivum esse, atque animal esse, facit sensum verè identicum: *Petrus aut est sensitiuus, aut sensitiuus*; & sic enunciatio erit voce tantùm, non re disiunctiva.

Quarta fit in *Modalem*, & *Non modalem*. Prima non tantùm attribuit prædicatum subjecto; sed etiam enunciat modum, quo ei conveniat. V.g. *Homo necessariò est animal*. Secunda verò, quæ vocatur etiam de *inesse*, asserit merè unum de alio, sive unum inesse alteri; ut *Homo habet discursum*.

Quędam aliæ propositionum divisiones assumuntur, sive à materia, sive à forma, sive à quantitate, sive à qualitate ipsarum. Materia enuncia-

ciationis non est nisi res, circa quam enunciatur. Et quia res modò est necessaria, modò contingens vera, modò contingens non vera, & modò impossibilis, ideo enunciatio quadrifariam adhuc secatur. Aut enim est necessaria, ut *Homo est sensitiuus*; Aut contingenter vera, ut *Roma existit*; Aut contingenter non vera, ut *Vesuvius friget*; aut denique impossibilis; ut *aurum est argentum*.

Forma enunciationis consistit in verbo, quo tanquam nexu connectuntur termini, prædicatum, atque subjectum. Quoniam verò in diversa signa verbum extendi solet; hinc enunciatio, alia de præsenti, alia de futuro, alia de præterito evadere consuevit.

Quantitas enunciationum est coarctatio, seu extensio subiecti, juxta quam dicitur ista communis, ea particularis; una determinata, una indeterminata &c. V. gr. *Petrus currit* est enunciatio determinata particularis; *quidam currit*, particularis indeterminata; *Omnis homo currit*, communis, aut Universalis. Eodem pacto si subjectum sit indefinitum, enunciatio manet indefinita; ut *Avis cantat*: nec enim definitur, omnisne, an aliqua tantùm cantet avis. Et hìc adverte, in materia necessaria terminum indefini-

fini-

finitum supponere universim. V. g. *Homo est discursiuus*, hic terminus *homo* significat pro cunctis in universum hominibus. At verò in materia contingente significat pro aliquo tantùm: Ut *Homo currit* Sensus enim est, aliquem currere, non omnem hominem.

Qualitas demum enunciationis est veritas ejusdem, aut falsitas; affirmatio, sive negatio. Tunc dicitur vera enunciatio, cùm indicat rem sicut in se jacet: V. g. *cycnus candicat*. Falsa verò cùm enunciat diversa ratione, ac in se manet: ut *sidus est animatum*. Affirmativa dicitur, quæ prędicatum tribuit subjecto; negativa, quæ idem tollit, &c.

SUB-

SUBLECTIO TERTIA.

Postrema bonæ enunciationis Instrumenta: Varia eiusdem proprietas.

COndiscit humana mens, quonam se modo ritè gerat in enunciatione, quam efformat, si varias teneat proprietates, unde affici consueuit. Cùmque inter eas occurrat statim oppositio, ab hac non immeritò exordiendum.

Enunciationum oppositio.

DIcitur oppositio ab Arist. 1. Periher. cap.4. *affirmatio, & negatio rei de uno, eodemquè subjecto*. Nimirum est duarum enunciationum, quę idem habent & prædicatum, & subjectum, ratione qualitatis, aut quantitatis, aut etiam utriusque, repugnantia. Inde quatuor exoriuntur enunciationum oppositiones: contraria, contradictoria, subcontraria, & subalterna.

Oppositio contraria est, quoties

 e nun-

enunciatio enunciationi obstat in qualitate, sed in quantitate omnino conuenit. V. g. *omnis homo currit; nullus homo currit*. Hujusmodi enunciationes nunquam esse possunt veræ simul; bene tamen è contra. Nam siquis homo currat, neutra verum dicit; unde manet utraque falsa.

Oppositio contradictoria est, quoties enunciatio enunciationi obstat in quantitate, ac qualitate: Nimirum si una sit communis affirmatiua, & una particularis negatiua; seu è contra. V. g. *Omnis homo est sensitiuus; quidam homo non est sensitiuus*. Hæ verò enunciationes nunquam esse possunt falsæ, aut veræ simul. Nam si una est vera, secundam esse falsam in manifesto est.

Oppositio subcontraria contingit, quoties aliqua enunciatio enunciationi conuenit in quantitate, sed obstat in qualitate; ut v. g. *quidam homo currit; quidam homo non currit*. Enunciationes hujusmodi possunt simul esse veræ, quia Petro currente, fortasse non currit Franciscus: nunquam tamen erit utraque falsa. Dato enim, quòd hęc sit vera, *quidam currit*; falsum est, quòd non currat quidam. Sed tamen in rigore loquendo enunciationes hujusmodi non opponuntur. Nam etiamsi affirmet una, & alia neget,

get, non est affirmatio, ac negatio de uno, eodemque subiecto. V. g. *quidam homo est doctus; quidam homo non est doctus*, reddunt sensum v g. Petrum habere doctrinam, & non habere Franciscum: quæ affirmatio, ac negatio est de subjecto diverso. Quòdsi unum esset, idemquè subiectum voce, ac re, hujusmodi enunciationes non forent contrariæ, sed contradictoriæ omnino. Et sic non oppositæ dicendæ sunt, sed veriùs disparatæ ab inuicem.

Oppositio tandem subalterna est, quando enunciatio enunciationi obstat in quantitate tantùm; itaut una sit communis, & una particularis. V. g. *Omnis homo currit; quidam homo currit*. Hæ autem esse possunt simul verę ac falsæ; non tamen communis esse vera, quin sit etiam vera opposita, cùm ista secunda in antecedente contineatur. Quamobrem si verum est, omnem currere, negari non potest, quòd & quidam currat. E contra, si vera sit particularis, non est necesse, ut etiam communis verificetur. Etenim si aliquis currat, non opus est, ut currat omnis. Nota verò ejusmodi oppositionem in rigore non esse veram. Ratio desumitur ex dictis, quia oppositum quod est, non continetur in alio,

neque ab eo infertur. At enunciatio particularis continetur omnino in communi, à qua etiam deducitur. V. g. si dicatur: *Omnis homo est sensitivus*], bene infers: *ergo quidam est sensitivus*. Igitur hæc secunda latet in prima; & sic non opponitur.

Exinde sequitur, duas tantummodo esse oppositiones; nimirum contrarias, & contradictorias. Verumtamen recensentur, & subcontraria, & subalterna, quòd inserviunt ad hanc Figuram de oppositis extruendam.

Om.

Om.ho.eſt ſenſitiuus — contrariæ — Nullus ho.eſt ſenſitiuus

ſubalternæ — contra dic toriæ — contra toriæ — ſubalternæ

Quid.ho.eſt ſenſitiuus. — ſubcontr. — Quid.ho.nõ eſt ſenſitiuus.

Et quoniam diximus, enunciationem contradictoriam opponi quantitate, ac qualitate; itaut una ſit communis affirmativa, & una particularis negativa, ſeu è contra; ſcire debes, in vera contradictione non requiri ſemper, enunciationem eſſe communem, ſed non officere, ſi & ſubiectum ſit ſingulare; ut *Petrus currit*, *Petrus non currit*. Circa quod conſuevere Dialectici non unum tradere monitum ſcitu digniſſimum. Hoc nobis eſto pro cunctis.

Enunciatio, ut dicatur alteri contradictoria, debet hoc totum, ac tantùm prçcisè negare, quod affirmat op-

posita. Seu clariùs. Idem attributum de uno, eodemquè subjecto, in una, eademquè significatione accepta, & affirmetur, & negetur. Si enim asseratur quoad unam rationem, & negetur quoad aliam, non erit contradictio; imò tunc enunciatio erit utraque vera. Manifestum est enim, posse rem sub una ratione habere aliquod attributum, & non habere sub diversa. V. g. *cycnus est candidus*; *cycnus non est candidus*: erunt contradictoriæ, dummodo affirmet una de cycno quoad plumam; & una neget de cycno quoad eandem. Sin verò una dicat esse candidum in plumis; & una neget in cute, non erit affirmatio, ac negatio de cycno respectu ejusdem; & idcirco erit utraque vera. Nam quę asserit, esse candidum plumà, verum dicit; quę negat, esse candidum cute, verum quoquè adstruit; quia cycni cutis absque dubio nigra est.

Enun-

Enunciationum æquipollentia, & conversio.

ENunciationum æquipollentia est quando una earum sub terminis inter se diversis habet idem significare, quod alia, & sic dicitur ei æquipollens. Fit autem hoc beneficio negationis *non*; quę cùm ea sit, ut destruat omnia, supra quę cadit, si cadat in terminum singularem, conuertit hunc ipsum in universalem, & è contra: si negatiuę anteferatur voci, eam constituit affirmatiuam &c.

Ex hoc fit, ut propositiones contradictoriæ in ęquivalentes evadant, si uni eorum antemittatur negatio. V. g. *omnis homo currit*; *quidam homo non currit* contradictoriæ sunt. Æquiualebit prima secundæ, si eidem anteponas *non* hoc modo: *Non omnis homo currit*. Secunda etiam fiet æqualis primę, si dicas: *Non quidam homo non currit*. Ratio est, quia *Non omnis* idem sonat, ac *Quidam non*; & *Non quidam non*, significat idem, ac *omnis*.

Propositiones contrarię fiunt *æquivalentes*, dummodo negatio immediatè collocetur post subjectum.

V. g. hæ duæ contrariæ ; *omnis homo currit ; nullus homo currit* , evadunt in ęquivalentes , addita *non* post *omnis* homo ; aut post *Nullus homo* . Unde si dicas : *Omnis homo non currit* , hęc enunciatio æquipollet secundę : Sin autem sic ; *Nullus homo non currit*, hęc fit ęquivalens primæ . Ratio est , quia *omnis non* sonat *nullus* ; & è contra *nullus non* significat *omnis* . Hoc ipsum dico etiam de subcontrariis . Verùm isthæ , si rem bene consideremus , carent omnino æquivalentiâ . Nam in una earum si constituatur *non* post subiectum , non erit æquivalens ; imò eadem in terminis atque alia . V. g. *quidam homo currit ; quidam homo non currit* subcontrariæ sunt . Prima verò nequit reddi æquæ virtutis cum secunda , nisi ex addita *non* ante subjectum . Sic : *quidam homo* non *currit* . Verùm si hoc fiat , jam erit non æquivalens ; imò una , eademque in terminis , ac secunda ; & utraque sonabit : *Quidam homo non currit ; quidam homo non currit* . Sed neque Secunda erit ęquę virtutis cum prima , nisi dicas : *quidam homo non currit* . Qui tamen modus habetur ut *dissonus* , &c.

Subalternæ autem enunciationes ęquivalent sibi , cùm negatio ante , ac

ac post subjectum constituitur. V. g. hę duę subalternæ sunt; *Omnis homo currit*; *quidam homo currit*. Æquivalebit prima secundæ, si dicas: *Non Omnis homo non currit*. Secunda primæ, si enuncies: *Non quidam homo non currit*. Ratio est, quia *non omnis non* sonat *quidam*; *non quidam non*, significat *omnis*. Et hæ regulæ omnes continentur hoc monosticho.

Præ contradic. Post contra: Præ postq. subalter.

Conversio est, cùm duę propositiones mutuò inferuntur; una nimirum ex alia, converso prędicato in subjectum, & subjecto in prędicatum. De hac breviter, ne mens auditorum aliquà potiùs difficultatum vertigine conuertatur. Itaque conversio, aut est *simplex*, aut *per accidens*, aut *per contrapositionem*. Dicitur simplex, quoties attributum evadit in subjectum, & subjectum in attributum, servatà quantitate, ac qualitate propositionis, quæ conuertitur. Hoc modo conuertimus universalem negativam, & quoquè particularem affirmativam. V.g. *nullus homo est equus*; ergo *nullus equus est homo*. *Quidam homo est substantia*; ergo *quædam substantia est homo*

Conversio per accidens fit ex mu-

tatione quantitatis, eàdem omnino qualitate immutatà. Hoc modo conuertitur universalis negatiua, & uniuersalis affirmatiua. V.g. *nullus homo est canis; ergo quidam canis non est homo: Omnis homo est sensitiuus; ergo aliquod sensitiuum est homo.*

Conuersio contrapositionis fit seruatà eàdem quantitate, ac qualitate; sed eà ratione, ut ij termini, qui sunt in una propositione finiti, transmutentur in alia in infinitos. Hoc modo conuertitur uniuersalis affirmativa, & particularis negatiua. V.g. *Omnis homo est sensitiuus*: ergo *omne non sensitiuum est non homo. Quidam homo non est doctus; ergo quidam non doctum non est non homo*. Quæ omnes regulæ hoc uno disthicò excribuntur.

Simpliciter feci: convertitur Eua per acci:

Asto per contra: sic fit conversio tota.

Ubi triplex dicto excogitanda est. *Feci, Eva*, & *Asto*. In omnibus autem obserua, quęnam vocales reperiantur ex hisce quatuor *a, e, i, o*. *A* significat universalem affirmatiuam. *E* universalem negatiuam. *I* particularem affirmativam. *O* particularem negatiuam. Igitur quia *Feci*, cui antecedit vox *Simpliciter*, habet *e*, atque *i*; ostendit, universalem negativam, & particu-

cularem affirmativam conuerti debere ſimpliciter. Ita etiam de cœteris, ut c. p.

Enunciationum modi, & Hypotheſes.

EX varijs modis enunciandi attributum de ſubiecto exoritur modalis propoſitio; & ea eſt, ut jam innuebamus, quæ dicit modum, quo res rei conuenit. Modi autem, quibus enunciatio affici poteſt, quatuor aſſignantur, & ſunt: *neceſſariò, impoſſibiliter, contingenter, & poſſibiliter.* V.g. *Hominem eſſe animatum, neceſſe eſt. Petrum currere, contingens eſt. Antonium eſſe, poſſibile eſt. Franciſcum fieri equum, impoſſibile eſt.* Quæ omnes dicuntur modales, quia modus ęquè ſuus quibuſcumque adjacet.

Non ſuis caret proprietatibus enunciatio modalis. Habet enim, & quantitatem, & qualitatem, & oppoſitionem, & ęquivalentiam, & conuerſionem.

Quantitas accipitur à modo, aut communi, aut ſingulari. Communis eſt duplex, *neceſſe*, atque *impoſſibile*; quia nimirum unuſquiſque ad univerſum tempus dictum ſuum ex-

tendit. V. g. cùm dicis: *Necesse est hominem esse animatum*, hæc necessitas cujusque temporis est. Modus etiam singularis abit in duplicem; *contingenter*, *ac possibiliter*, quia uterque ad aliquod tantùm tempus extendit dictum. V. gr. *Hominem currere*, *possibile*, *aut contingens est*. Nam hę voces *possibile*, atque *contingens* reddunt sensum, posse hominem nunc habere cursum, nunc cessare ab eodem.

Qualitas in enunciatione modali sumitur ab affirmatione, aut negatione modi, & vocatur propositio modalis affirmativa, quandocunque affirmatur modus; negativa, quoties negatur. V. g. *necesse est*, *hominem non esse canem*, dicitur enunciatio affirmativa: *Non est possibile hominem esse canem*, vocatur negativa, quia negat modum.

Oppositio modalium enunciationum est, quando aut in una tantùm qualitate opponuntur; & hęc dicitur oppositio contraria, seu subcontraria. V. g. *Necesse est juvenem studere*; *impossibile est juvenem studere*: aut quando in una tantùm quantitate; vocaturquè oppositio subalterna: Ut *necesse est*, *te bene vivere*; *contingens est te bene vivere*: Aut quando in utroque; unde proposi-

tio

tio emergit contradictoria . V. g. *necesse est hominem currere : non necesse est hominem currere* . Ubi aduerte, modum, qui affirmatur in una, debere in opposita omnino negari, alioquin contradictoria non obstaret quoad quantitatem.

Æquivalentia contingit ex addita *non*, quę sicut in enunciatione categorica constituitur, aut ante, aut post subjectum; sic in modali ante modum, aut post eundem effertur; juxta normam antecedenter traditam *Præ contradic.* &c. Itaque si enunciationes opponantur contradictoriè, ut mutuò ęquivaleant, debet negatio antemitti *modo* : si contrariè, post *modum* : si subalternè, post, & ante *modum* adhibenda est. V.g. subalternæ sunt hę : *necesse est hominem esse doctum ; contingens est hominem esse doctum* . Prima ęquivalebit secundæ, si dicas : *Non necesse est hominem non esse doctum* . Secunda primę, si enuncies: *Non contingens est hominem non esse doctum*.

Conversio item ad normam de simplicibus exercetur : *Simpliciter feci* , *convertitur Eva* &c. Itaut communis negativa, & particularis affirmativa conuertantur simpliciter. V. g. *est impossibile hominem esse brutum ; ergo est impossibile brutum esse hominem* .

nem. Contingens est Petrum esse divitem; ergo contingens est divitem esse Petrum. Et sic de cœteris juxta doctrinam ante traditam.

Preterea datur alia enunciatio, quæ vocatur *Hypothetica*, & definitur *Oratio, quæ pluribus constat enunciationibus inter se quodammodo connexis*. Et quia ista connexio consuevit fieri quinque particulis, *&, aut, si, quia, ergo*, quinque oriuntur species enunciationum hypotheticarum, quas vocant Copulativam, Disiunctivam, Conditionalem, Causalem, Arguitivam. V.g. *Homo est sensitiuus, & discursivus. Petrus, aut scribit, aut non scribit. Si Sol est, dies est. Quia est bonus, est præmio dignus. Franciscus est homo, ergo animal.*

Pro unaquaque verò enunciatione aduertendum est, Copulativam dici veram, si cunctę categoricæ verę sint; falsam è contra, si una tantùm inueniatur non vera. V.g. *Homo est sensitivus, & discursivus, & rugitivuus* E contra in Disiunctiva, si tantummodò una verificetur, tota enunciatio vera est. V.g. *Petrus, aut est arbor, aut brutum, aut homo*. Tertiò ad veritatem Conditionalis requiritur, ut unum bene inferatur ex alio, eoquòd sit ei connexum. V.g. *si fumus est, ignis est*; nam existentia fumi gerit connexionem

nem cum existentia ignis. Quartò enunciatio Causalis dicitur vera, cùm in antecedenti adest vera causa consequentis. Ut: *quia Sol est, dies est*.

Quintò enunciatio Arguitiva est, quando inferimus ex antecedenti aliquid consequens. Et in hoc aduerte, non semper necessum esse, ut antecedens vera causa sit consequentis; nam satis erit, si saltem causa videatur congruens. V. g. *si Petrus est doctus, ergo meretur encomium*. In quo casu *doctus* non ponit encomium in esse; verumtamen causa quędam est, ut congruenter commendetur Petrus. Aduerte secundò, illationem esse bonam, etiamsi consequens re idem sit cum antecedenti, aut antecedens cum consequenti, dummodo inter utrumque distinctio sit saltem metaphysica. Ex. g. bene dixerim: *si est Petrus, ergo est homo; si homo, ergo animal; si animal, ergo vivens* &c. Nam etiamsi Petrus idem omnino sit in re, ac homo; idem homo, ac animal &c. satis est, assignatos jam gradus metaphysicè distingui, ut unus deducatur ex alio.

Quoniam verò enunciatio hypothetica modò est affirmativa, & modò negativa, sciendum est, dici tunc negativam, quando negatio cadit in con-

conditionem, qua redditur hypothetica. V.g. hęc: *Non si Petrus bene viveret, Franciscus bene ageret*, negativa est, quia negatio, seu vox *non* cadit supra *si*. Ex adverso cùm negatio afficit aliud, enunciatio manet affirmativa. Vt si dixerim: *Phœnix aut est, aut non est*. Asseritur enim seu Phœnicis existentia, seu negatio ejusdem.

Pręter has enunciationes, eę quoq. assignantur, quas dicunt exponibiles, eò quia ob sensum non omnino, & immediatè constantem indigent exponi beneficio aliarum. Hujusmodi sunt, quas vocitant *exclusivas*, *exceptivas*, *reduplicativas*.

Enunciatio exclusiva dicitur, quæ aliquam petit ex hisce vocibus *tantùm*, *solùm*, *dumtaxat*. V.g. *tantùm homo est discursivus*, quæ sic exponitur: Homo est discursivus, & non est ens extra hominem, quod sit discursivum. Quamobrem vox *tantùm* cœtera entia excludit.

Porrò terminus hic *tantùm* potest excludere, aut subjectum, ut in dicta jam enunciatione; aut prædicatum. Vt si dicas. *Homo est discursivus tantùm*. In quo casu excluditur ab homine quodcumque aliud ejus pręedicatum.

Enunciatio exceptiva cognoscitur ex termino *præter*, sive simili: v. g.

Omne

Omne ſenſitivum, præter hominem, eſt brutum. Quę ſic enodatur. Omne ſenſitivum, quod non ſit homo, eſt brutum, & homo non eſt brutum. Quare vox *præter* extrahit hominem à ſerie brutorum.

Enunciatio reduplicativa ea eſt, cui terminus ineſt, qui ſenſum geminat, ſive, ut ajunt, reduplicat; ut *quatenus*, *in quantum* &c. qui termini ſignificant rationem, ob quam merè prædicatum convenit ſubjecto, & non diverſam. V.g. ſi dicatur: *Ignis urit, quatenus eſt calidus;* vox iſta *quatenus* geminat calorem, & ſignificat, per hanc merè rationem, & non diverſam exerceri ab igne vſtionem. Quo circa eſſet falſa hęc enunciatio: *Ignis urit, quatenus eſt ſiccus*. Non enim ſiccitas eſt ratio, ſeu vera cauſa urendi; ſecus ureret etiam terra, cui tam bene ineſt ſiccitas. Ergo ſic enodatur ea reduplicativa. Ignis urit, atq. hoc ei convenit ex mera cauſa caloris. Proinde aliqua enunciatio erit vera *ſpecificativè*, non ita ſi reduplicativè aſſumatur. V. g. ſi de nive dicas: *Hoc album eſt frigidum*, enunciatio *ſpecificativè* vera eſt. Contra tamen ſi addas: *Hoc album, quatenus album, eſt frigidum*. Nec enim albedo vera cauſa, ſiue ratio eſt, cur nix frigida ſit. Secus & flammæ conveniret eſſe frigidam, quia eſt alba.

A P-

APPENDIX.

Definitionis , ac Divisionis .

ATtinet definitio , & diuisio ad secundam intellectus nostri operationem , & sunt quædam instrumenta , quę nos juuant ad bene de rebus judicandum , quia earum naturam explicant magis , & ad notitiam ferunt. Hinc etiam à dialecticis consueuerunt vocari *modi sciendi* ; nam definiendo , ac dividendo , rem intimè attingimus , & ad captum trahimus . De utraque hoc loco breuiter.

Definitio ab Arist. 2. Post. cap. 10. dicitur esse *Oratòo explicans quid quod est rei* , seu naturam rei : ostendit enim in quo res conueniat cum aliis , & in quonam differat ab ijsdem . Hujusmodi est v. g. hominis definitio , quę sic traditur . *Homo est animal rationis compos* . Ubi vides , hominem vocari *animal* , in qua re conuenit cum cœteris , quæ animalia sunt . Mox dicitur *compos rationis* , in qua re differt omnino ab iisdem.

Re-

Regulæ Definitionis hę ſunt. Prima, ut conſtet genere proximo, ac differentia ultima. Ideo non cenſetur bona hæc definitio: *Homo eſt ſubſtantia ratiocinativa*; quia vox iſta *ſubſtantia* nimiùm diſtat, eſtquè alia ratio, ſive genus, quod viciniùs, & congruentiùs renunciat naturam hominis, & magis detegit: ex. g. *animal*, ſub quo genere conſtat magis de homine quid ſit. Conſimiliter niſi aſſumatur differentia, quam vocant ultimam, non omnino conſtat quid ſit homo. V. g. ſi dicas: *Homo eſt animal bipes*. Etenim vox iſta *bipes* conuenit etiam iis, quæ non ſunt homines; & ideo non renunciat, in quo differat ab omnibus, aut in quo conſtituatur animal à cœteris diverſum. Propterea definitio abſurda eſt. E contraverò emerget bona, ſi dicatur: *Homo eſt animal ratiocinativum*, quia ſic ſatis cognoſcitur quid ſit, & in quo à cœteris diſtinguatur.

Secunda regula. Vt ſit clarior definito; ſeu eà re, quę definitur. Idcirco non debet conſtare vocibus, quę ſint ęquivocæ, obſcuræ, metaphoricæ; nam ob id extitit adinuenta, ut rei definitæ naturam reddat manifeſtam. Quod autem obſcurius eſt, quomodo aliud manifeſtabit?

Tertia

Tertia regula . Vt definitio adęquetur suo definito . Si enim extenditur magis , ea superuacanea est . V. g. si dicas : *Homo est animal ratiocinatiuum* , *& sensitiuum* , vox ista extrema *sensitiuum* dicit omnino , quod jam dictum erat in termino *animal* , unde vana censetur . Si etiam è contra definitio non correspondeat rei definitę , aut ad eam sese tota non extendat , erit manca , & absurda , quia sic non ostendit rei naturam , sed potiùs abdit . Quemadmodum si enuncies : *Homo est animal*.

Divisio autem est *Oratio* , quę rem in suas veluti partes ritè distribuit . Quare divisionis exercitium pendet à cognitione rotius. Est verò divisio non una . Secatur enim in eam , quę dicitur *potentiâ* , quę *actu* , quę *Physica*, quę *iugrativa* , quę *metaphysica* , & quę *accidentalis* .

Divisio potentià vocatur , qua res dividitur in gradus , non quos actu habet , sed quos habere potest , quia mens nostra ita eos dividit , V.g. hoc genus *animal* revera non habet gradus , aut partes actu : Dicitur tamen eas habere potentià , quia dividi à nobis potest in rugitiuum , in mugitiuum &c. Vnde *animal* , quod sic dividitur , vocatur totum *potestatiuum* .

Di-

Divisio actu, sive actualis ea est, qua res dividitur in partes, unde actu constituitur. Hę verò si extiterint physicę, aut sunt attinentes ad rei essentiam; ut v.g. cùm diuiditur homo in *animąm*, & *corpus*; quæ diuisio vocatur essentialis. Aut sunt integrantes; quemadmodum si dividatur in *caput*, in *manus*, in *brachia* &c. quę divisio integrativa dicitur. Aut sunt partes metaphysicę; ut cùm homo idem secatur in *sensum* quasi genus; & in *rationem* quasi differentiam; quæ diuisio est omnino metaphysica.

Divisio autem si contingat in partes, quę sint accidentales, abit in trinam. Prima est quando subjectum dividitur in accidentia; ut *Auditorum sunt quidam acuti, quidam pigri, quidam solertes* &c. Secunda cùm secatur accidens in subjecta: Ut *nigredo est quædam uvæ, quædam attramenti, quædam Æthyopis* &c. Tertia quoties accidens in alia quoquè accidentia secernitur: Vt *amaror quidam est suavis, quidam acer* &c.

Regulæ divisionis hæ sunt. Prima, ut omnes partes adęquent suum totum, quod in eas dividitur. Ideo non est bona divisio animalis in terrestre, atque aereum; quia hæ duæ partes non totam adęquant ejus lati-

titudinem; manet enim & aqueum. Secunda: Ut una pars non contineatur in alia. Quamobrem non bene diceres; animantium esse quoddam terrestre, quoddam verò rugitivum. Quod enim rugit, jam in serie terrestrium reperitur.

Et hęc de Iudicio.

***

LECTIO TERTIA.

De Diſcurſu.

FInis hic præcipuus eſt Logicæ, ut humanam dirigat ratiocinationem, quæ vi ſuæ ſi relinquatur, in errores multò magis offendit. Ad hunc verò finem inſtrumenta quædam conſtituta ſunt, quæ intellectum juvent ad bene procedendum; quotieſcunque à notis ad ignota extenditur, ea trahendo in apertum. Quę res cùm maximè fiat beneficio argumentationis, juuat hìc videre, quid, & quotuplex hęc eadem ſit.

Argumentatio definitur *Oratio, in qua unum ex alio deducitur*. Puta cùm dico: *Franciſcus eſt homo; ergo eſt ſenſitivus*. Non enim aſſero quomodocunque, Franciſcum habere ſenſum, ſed hoc arguo, infero, deduco ex eo, quòd homo eſt.

Quare

Quare debet hìc adverti consequentia, sive illatio, quæ notatur per vocem *ergo*; nam ea differt omnino à consequente: consequens enim est propositio, quam inferimus; & consequentia deductio, quà infertur. Unde potest contingere, verum esse consequens, falsam tamen consequentiam. V. g. si dicas: *Homo est substantia*, *ergo animal*. Nam etiamsi revera homo sit animal, non est hujusmodi, quia est substantia; secus & ritè inferres, astrum, vitrum, aerem esse animal, quia hęc omnia ęquè bene substantiæ sunt.

Dividitur autem argumentatio in quinque species, quę dicuntur *exemplum*, *inductio*, *dilemma*, *enthymema*, *&* *syllogismus*.

Exemplum est excursus à termino in terminum ob quandam rei convenientiam. V. g. *justum est subire vitæ discrimen pro humano Rege*; *multò ergo istius erit vitam vovere Divino*.

Inductio est argumentatio, in qua per singularia satis enumerata fit ad commune, sive universale gradatio. V. g. *Ignis*, *&* *Venetus*, *&* *Patavinus*, *&* *Tarvisinus combustivi sunt*; *ergo quicumque ignis est combustivus*.

Dilemma est oratio, quæ duabus partibus constat, & altera earum con-

continuò ferit. V.g. si dicas: *Aut Sortes tenuit, quæ docui, aut non. Si tenuit; cur memoriæ non commisit? si non tenuit; quare non rogavit, ut rursus docerem?*

Enthymema est oratio, in qua ex una enunciatione immediatè inferimus aliam. V.g. *Petrus est vivens*; ergo *est substantia*.

Syllogismus tandem ab Aristot. 1. Prior. cap. 1. definitur *Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid ab iis, quæ posita sunt, necessariò contingit, eo quòd hæc sint.*

Seu, est argumentatio, in qua datà majori, & minori, eisque concessis, conclusio sequitur ex necessaria connexione illarum, ut in processu constabit.

SUBLECTIO PRIMA

Axiomata quædam boni discursus instrumenta.

IMpossibile quidem est, ait Arist. 8. Topic. c. 2. *demonstrare quidpiam eum, qui non incipit ab initiis, & adusque ultima non connectit*. Iuverit ergo antemittere hìc nescioque axiomata, quibus ut suis verè principijs tota vis humani discursus innixa esse videtur.

Axioma primum. *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se quoquè sunt eadem*. Nimirum si duę res inveniantur esse idem cum tertia, illas etiam inter se idem esse necessum est. V. g. detur quantitas .a. & quantitas .b. Si ambæ sint congruæ quantitati .c. necessariò & inter se congruentes erunt. Ita etiam si Deus v. g. constituat Petrum hìc mihi adhęrentem, & Paulum quoquè adhęrentem, æquè bene inter se adhęrebunt &c.

Axioma secundum. *Si aliqua duo non sint idem cum tertio, nec inter se idem erunt*. V.g. quia homo est idem cum sensitivo, arbor non est idem

cum

cum ſenſitivo; ritè arguimus, hominem, & arborem inter ſe non eſſe idem.

Axioma tertium. *Dici de omni*. Senſus eſt: Omnia prædicata, quæ de aliquo termino communi diſtributivè dicuntur, conveniunt etiam cuique particulari ſub eo communi contento. V.g. quia hic terminus *ratiocinatiuum* dicitur de homine, ut *de omni*, ſeu diſtributivè ad *omnes*, dici etiam debet de Franciſco, de Antonio, cœteriſque hominibus.

Axioma quartum. *Dici de nullo*. Senſus eſt: Omne, quod negatur de quoppiam ſubjecto, ut *de omni*, hoc eſt univerſim, & in communi accepto, negatur etiam de quocunque individuo contento ſub eodem. V.g. eſſe rugitivum de nullo equo dicitur; ergo nec dici poteſt de Frontino, de Bucephalo &c.

Vſus axiomatum ad bonitatem diſcurſus.

Axiomatibus jam traditis tota nititur vis boni diſcurſus. Verùm adhuc ſupereſt dicendum, quinam eſſe debeat eorum uſus. Hìc itaque iuverit meminiſſe, in quavis enunciatione adeſſe ſubiectum, & prędicatum, quę duo interueniente verbo *eſt*, aut oſtenduntur connecti affirmando, aut ab invicem dejungi negando. V.g. dum

G ſic

ſic enuncio : *Vitrum eſt diaphanum* , aſſeritur connexio diaphaneitatis cum vitro, nimirum prędicari cum ſubjecto. Dum verò dico : *Cælum non eſt firmum*, innuo ſeparationem firmitatis à cœlo &c.

Verùm qua ratione oſtendetur connexio iſta , ſeu identitas ; & hæc dejunctio , ſeu non identitas inter predicatum , atque ſubjectum ? Obſerva hìc egregium ſyllogiſmi artificium . Debet inveniri medium quid , ſeu *medius quidam terminus* . Eo adinvento , aſſumitur prędicatum enunciationis , & oſtenditur illi connexum . Deinde ſubjectum , & hoc etiam connectitur eidem . Hæc duo ſi fiant , oſtenſum jam erit , ea eſſe connexa uni tertio . Si uni tertio connexa ; ergo & inter ſe connexionem habebunt , ex vi axiomatis : *Quæ ſunt eadem uni tertio , inter ſe quoquè ſunt eadem*.

Ex adverſo . Vis probare negativam enunciationem , ſive à ſubjecto excludere attributum ? Excogita medium quid , & oſtende unum extremum convenire cum eo, aliud extremum non convenire , jam oſtenderis, ea nec inter ſe habere convenientiam. Quod totum ſequitur ex ſecundo axio. mate : *quæ non ſunt eadem uni tertio* , *nec inter ſe ſunt eadem*.

Cœ-

Cœterùm isthæc difficultas est: quomodo possit inveniri hoc tertium, sive *medius hic terminus*, cum quo aut extrema propositionis unionem sumant, aut è contra. Notetur ergo

Medij Termini Inventio.

Multa documenta congerunt Logici hac de re, sed quæ tantam gerunt difficultatem, ut cùm agant de medio termino inveniendo, quamcumque arguendi methodum ferè tollant de medio. Et sanè juvat hìc potiùs ingenii acumen, quàm diuturna series documentorum. Idcirco *medii termini* adinventio consuevit dici *Pons Asini*, quia rudioribus ingeniis ille debet sterni ad utramque ripam, sive ad extrema enunciationis unienda; secus enim subsistunt, hęrent, neque gradum faciunt. Pauca ego, ne acutissimis Auditorum ingeniis parum fidere videar.

Probare vis enunciationem aliquam? Adverte quod jam diximus; hoc non esse quidem, nisi velle unire prædicatum subjecto. Quæris ad hoc medii termini subsidium? Vt invenias, en tibi facile documentum.

Excogita causam aliquam, cur prędicatum de subjecto dicas; & hęc certè non arduo negotio subveniet.

niet. Nam si prędicatum dicis de subjecto, aliquam ob causam dicis. Hęc igitur causa erit *Medius terminus*. Tunc assume propositionis extrema, & ea connecte cum causa. Quod si feceris, attributum quoquè, ac subjectum inter se connecti ostendes. V. g. probanda est ista conclusio. *Sidus est igneum*. Vis adinvenire medium terminum? Affer causam, cur sideri attribuas hoc prędicatum; seu cur sidus asseratur igneum. Dicis enim esse tale, aut quia exardet, aut quia urit, aut ob hujusmodi causam. Assume igitur aliquam ex his. V. g. *quia urit*. Mox additâ voce *omni*, junge huic termino prædicatum enunciationis, & dic: *Omne urens, est igneum*. Deinde assume subjectum, & hoc etiam connecte cum termino sic: *sidus est urens*. Inde statim inferes: *ergo sidus est igneum*.

Ubi autem adinventus fuerit medius terminus, diversimodè cum extremis connecti potest: Adeo ut modò subjectum sit, modò attributum; ex qua diversâ connexione oriuntur figuræ syllogismorum omnes. Quamobrem non incongruum erit, si statim notetur.

SUB-

SUBLECTIO SECUNDA.

Figuræ ſyllogiſticæ.

Præcipua boni diſcurſus Inſtrumenta.

SYllogiſmus, ut ante diximus, eſt Oratio, quę trinà extruitur propoſitione; majori, minori, & conſequentia. Unde ſatis conſtat, quænam ſit materia ſyllogiſmi, *ex qua.* Vna enim eſt remota, nimirum *termini;* & alia proxima, *enunciationes.* Hæ verò ſuam habent formam, hoc eſt quandam inter ſe concinnitatem, ſeu coordinationem, quæ à varia oritur connexione *Medij* cum extremis. Iuxtaquòd ergo iſta connexio diverſimodè fit, etiam diverſas gignit figuras.

Medius enim terminus, aut ita connectitur majori extremo, ut ſit ſubjectum; & minori extremo, ut ſit attributum; & hinc emanat prima *Figura.* Vel unitur utrique ut attributum; & oritur inde Secunda. Sive in majori, & minori ſubiicitur; & hæc diſtributio reddit Tertiam. Prȩter has, non videtur eſſe concedenda, quam

niet. Nam si prędicatum dicis de subjecto, aliquam ob causam dicis. Hęc igitur causa erit *Medius terminus*. Tunc assume propositionis extrema, & ea connecte cum causa. Quod si feceris, attributum quoquè, ac subjectum inter se connecti ostendes. V. g. probanda est ista conclusio. *Sidus est igneum*. Vis adinvenire medium terminum? Affer causam, cur sideri attribuas hoc prędicatum; seu cur sidus asseratur igneum. Dicis enim esse tale, aut quia exardet, aut quia urit, aut ob hujusmodi causam. Assume igitur aliquam ex his. V. g. *quia urit*. Mox additā voce *omni*, junge huic termino prædicatum enunciationis, & dic: *Omne urens, est igneum*. Deinde assume subjectum, & hoc etiam connecte cum termino sic: *sidus est urens*. Inde statim inferes: *ergo sidus est igneum*.

Ubi autem adinventus fuerit medius terminus, diversimodè cum extremis connecti potest: Adeo ut modò subjectum sit, modò attributum; ex qua diversà connexione oriuntur figuræ syllogismorum omnes. Quamobrem non incongruum erit, si statim notetur.

SUB-

SUBLECTIO SECUNDA.

Figuræ ſyllogiſticæ.

Præcipua boni diſcurſus Inſtrumenta.

SYllogiſmus, ut ante diximus, eſt Oratio, quę trinà extruitur propoſitione; majori, minori, & conſequentia. Unde ſatis conſtat, quænam ſit materia ſyllogiſmi, *ex qua.* Vna enim eſt remota, nimirum *termini;* & alia proxima, *enunciationes.* Hæ verò ſuam habent formam, hoc eſt quandam inter ſe concinnitatem, ſeu coordinationem, quæ à varia oritur connexione *Medij* cum extremis. Iuxtaquòd ergo iſta connexio diverſimodè fit, etiam diverſas gignit figuras.

Medius enim terminus, aut ita connectitur majori extremo, ut ſit ſubjectum; & minori extremo, ut ſit attributum; & hinc emanat prima *Figura*. Vel unitur utrique ut attributum; & oritur inde Secunda. Sive in majori, & minori ſubiicitur; & hæc diſtributio reddit Tertiam. Prȩter has, non videtur eſſe concedenda, quam

vocant quartam figuram Galeni, cùm ea ſecernatur à prima tantùm ex accidente, hoc eſt ex eo; quòd major enunciatio conſtituatur loco minoris, & hæc tranſeat in ſedem majoris; etiamſi prima ubicumque ſit, revera ſit major; & ſecunda, quocumque loco ſtatuatur, maneat minor, ut infra videbimus. Haſce verò figuras hoc uno verſu Logicus Apollo deſcribit.

Sub præ Prima: bis præ Secunda: Tertia bis ſub.

Porrò unaquæque figura ſuos habet modos inter ſe diverſos, & peculiares. Differunt enim ratione quantitatis: nam utraque propoſitio, aut eſt univerſalis, aut una communis, & una particularis; ex quo varii oriuntur modi ſyllogiſmorum. Differunt etiam ratione qualitatis. Poteſt enim utraque affirmari; ſeu afferi prima, & negari ſecunda; vel è contra. Figuræ omnes, & modi quatnor hiſce verſibus comprænenduntur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio: Baralypton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco: Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Pro

Pro enodatione observa, quamlibet cujusque carminis dictionem significare modum suæ figuræ singularem. Quare sicut novendecim scribuntur, ita novem, ac decem sunt modi, quibus hæ tres figuræ concludunt. Primi novem duobus contenti versibus attinent ad primam Figuram. Primi quatuor in tertio versu ad secundam. Reliqui sex ad tertiam.

Secundò nota, in quavis dictione usuvenire tantummodo tres primas vocales; nam cœteræ, siquæ sunt, non faciunt ad rem nostram; sed pro carminis confectione adduntur, quemadmodum in *Baralipton*. Tres igitur primę vocales trinam significant enunciationem, qua totus constat syllogismus. Prima notat majorem; secunda minorem; tertia conclusionem. Unaquęque autem ex his innuit, quanta, & qualis esse debeat enunciatio, cui respondet. *A* enim significatur universalis affirmativa; & *E* negativa; *I* particularis affirmativa, & *O* negativa. V.g. hęc vox *Barbara* indicat, in Syllogismo tres requiri propositiones, quarum unaquæque sit universalis affirmativa. In *Celarent* verò significatur major esse debere universalis negativa, minor universalis affirmativa, &

conclusio negativa. Sic etiam de cœteris.

Nota tertiò, Primos quatuor modos, *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*, attinentes ad primam Figuram, vocari, & esse *Directos*; quia non tantùm bene concludunt, sed etiam in ijs apparet directè bonitas illationis. Qui sequuntur in eàdem Figura Modi, vocantur *Indirecti*, quia indirectè concludunt. Enimverò convertunt prædicatum in subjectum, & hoc in prędicatum, juxta regulam de conversionibus.

Notentur ergo quędam schemata in quibusdam cujusque Figuræ Modis, quæ rem sub intuitum magis adducant.

MO-

MODI PRIMÆ FIGURÆ.

In Barbara.
Omne mixtum conſtat ex atomis:
Omnis flos eſt mixtum:
Ergo omnis flos conſtat ex atomis.

In Celarent.
Planeta non eſt ſcintillans:
Sidus erraticum eſt planeta:
Ergo ſidus erraticum non eſt ſcintillans.

In Baralipton.
Omne diaphanum eſt poroſum:
Omne vitrum eſt diaphanum.
Ergo aliquod poroſum eſt vitrum.

Modus iſte *Baralipton* cum cœteris quatuor ſequentibus dicitur *Indirectus*, quia indirectè concludit. Convertit enim prædicatum in ſubjectum, & è contra ſubjectum in prædicatum. Nam concluſio directa fuiſſet iſta: *ergo omne, aut quoddam vitrum eſt poroſum*. Et tamen convertitur: *ergo quoddam poroſum eſt vitrum*. Cur autem conſtituerint hos indirectè concludendi modos, ratio eſt; nam quædam concluſiones bene inferuntur converſæ juxta normam de converſionibus.

MODI SECUNDÆ FIGURÆ.

In Cesare.

Nullum mixtum est simplex:
Omne elementum est simplex;
Ergo nullum elementum est mixtum.

In Camestres.

Omnis solaris radius est corporeus:
Nullum lumen glorię est corporeum;
Ergo nullum lumen glorię est Solaris radius.

MODI TERTIÆ FIGURÆ.

In Darapti.

Omnis vapor facilè ascendit:
Omnis vapor est pluvia tenuis;
Ergo aliqua pluvia tenuis facilè asscendit.

In Felapton.

Nulla substantia sentit interitum:
Omnis substantia est ens;
Ergo aliquod ens non sentit interitum.

Vis ergo syllogismum construere in quacumque figurarum? Adverte in prima. Statui debet conclusio, quæ sit adstruenda. Mox invento medio ter-

termino, aſſume concluſionis attributum, & hoc prędica in majori de illo. Rurſus aſſume ſubjectum, & de iſto in minori prędica quoquè medium terminum. Quod ſi fiat, erit ſyllogiſmus in prima figura. V.g. ſit adſtruenda hæc enunciatio in Barbara: *Omnis arbor eſt ſubſtantia*. Sit medius terminus iſte, *quia vivit*. Debet aſſumi *ſubſtantia*, & dici de vivente ſic: *Omne vivens eſt ſubſtantia*. Mox debet ſumi *arbor*, atque de illa dici etiam *vivens*, ita: *ſed omnis arbor eſt vivens*. *Ergo omnis arbor eſt ſubſtantia*.

Nota in ſecunda figura. Prædicari debet medius terminus de utroque propoſitionis extremo. V. g. ſit adſtruenda hæc enunciatio in *Ceſare*. *Nullus bos eſt homo*. Sit medius terminus v.g. *mugitivus*; & dic. *Nullus homo eſt mugitiuus*. Deinde aſſume ſubjectum ejuſdem concluſionis, & affirma de illo *mugitivum*, ſic: *ſed omnis bos eſt mugitivus*. Inde ſequitur: *Ergo nullus bos eſt homo*.

Adverte in tertia figura. Debet medius terminus in utraque propoſitione fieri ſubjectum. V.g. ſit adſtruenda concluſio in *Darapti*: *Quædam ſubſtantia eſt ignea*. Medius terminus erit, *quia exardet*. Aſſume prædicatum concluſionis, quod eſt *igneum*, & dic de medio termino,

ut

ut de subjecto sic: *omne ardens est igneum.* Deinde prędica subjectum de hoc eodem medio: *sed omne ardens est substantia; ergo quædam substantia est ignea.* Reliqua schemata syllogismorum vestra vobis pariet industria.

SUBLECTIO TERTIA.

Regulæ universales ad omnem Syllogismum: alia boni discursus instrumenta.

Regula prima. Quicumque syllogismus constat tribus tantummodo terminis, nempe duobus extremis, atque medio. Quare duo hìc advertenda sunt. Primum, quòd aliquis terminus etsi unus videatur *voce*, duplex tamen esse potest in sensu, & significato. Hujusmodi est quęcumque vox ęquivoca; unde peccat hic syllogismus. *Omnis canis latrat: quoddam sidus est canis; ergo quoddam sidus latrat.* Ratio est, quia canis æquivalet duobus, & sic extrema non identificantur cum uno, ac eodem. Nota secundò, posse duos terminos quandoque sumi pro uno, qui sit complexus. V. g. *Petrus*, & *Paulus* constituunt

tuunt binarium ; unde si uterque assumatur in ratione binarii , erunt unus,idemquè terminus in syllogismo.

Regula secunda. Quicunque syllogismus habet omnino duas præmissas, etiamsi altera nonnunquam taceatur . Ratio est , quia ut affirmetur , sive negetur connexio unius termini cum alio, duę requiruntur enunciationes, quarum una unum extremum unit medio; alia sive jungit, sive dejungit secundum extremum ab ipso . Et sic aut ostendit duo extrema esse idem inter se, aut non esse idem . Quamvis ergo una enunciatio taceatur voce, attamen illa est in mente arguentis, qui nunquam asserit extrema esse connexa, seù non connexa , nisi eadem aut junxerit , aut seiunxerit à medio, juxta monitum , *quæ sunt eadem uni tertio* &c.

Regula tertia. Ex duabus enunciationibus, quę sint particulares indeterminatę , non sequitur quidquam . Hinc vitiosus est syllogismus . *Quidam homo est animal* ; *quidam canis est animal* ; *ergo quidam canis est homo* . Ratio est , quia non fit duorum extremorum connexio cum uno tertio , quod sit verè, in rigore , atque indistinctè unum. Homo enim est idem cum quodam animali ; & canis cum diverso.

Re-

Regula quarta. Ex utràque præmissa negativa non sequitur quidquam. V. g. *substantia non est accidens : quantitatis non est substantia ; ergo quantitatis non est accidens*. Ratio est, quia in omni syllogismo debent extrema enunciationis aut ostendi connexa cum medio termino, aut non connexa : si connexa; ergo utraque propositio erit affirmativa : si non connexa; ergo una connectet unum extremum cum tertio, & sic erit affirmans; altera se junget secundum extremum ab ipso, & hęc erit negativa. Ergo una debet semper esse affirmativa; ideo ex duabus negativis non sequitur quidquam.

Regula quinta. Conclusio sequitur infirmiorem partem. Hóc est; si major, aut minor sit negativa, conclusio cadet quoquè negativa. Ratio est, quia enunciatio, quæ affirmat, connectit unum extremum cum medio; quæ autem negat, sejungit aliud extremum à medio; & ita statuendum est, unum non esse aliud : Ergo tunc emanabit conclusio negativa. Item si una enunciatio sit particularis, erit hujusmodi & conclusio. Ratio affertur, quia conclusio ea tantùm inter se ostendit connexa, quæ connectuntur cum tertio : unde si cum tertio connectatur extremum

par-

particulare, hoc tantummodo connectere debet cum secundo extremo; & sic non orietur conclusio, nisi particularis. Data ergo, aut majori, aut minori particulari, necessum est & hujusmodi esse conclusionem.

Regula sexta. Non est inserendum in conclusione, quod ante non extiterit in præmissis. Quamobrem vitiosus erit hìc syllogismus. *Omne sensitivum est animal: Omnis homo est sensitivus*; igitur *omnis homo est animal discursivum*. Ratio est, nam quidquid unitur in conclusione, priùs debuit uniri cum tertio in majori, & minori: at *discursivum* non fuit unquam, sive in majori, sive in minori unitum tertio, quod erat *sensitivum*; ergo neque in conclusione uniri debet cum extremis.

Regula septima. Medius terminus nunquam ingreditur conclusionem. Quapropter non bonus est hic syllogismus. *Omnis virtus amari debet*; *justitia est virtus*; *ergo virtus amari debet*. Ratio est, quia unio extremorum cum tertio fit in maiori, & in minori; mox in conclusione uniuntur extrema tantùm. Secus inter pręmissas, & conclusionem non adesset discrimen; neque ista differret, sive à maiori, sive à minori, cùm æquè bene in se medium terminum haberet.

Re-

Regula octava. Medius terminus in una saltem premissarum distribui debet. Est autem distribui, assumi pro inferioribus. Vnde vitium facit hic Syllogismus. *Omne animal fuit in Arca Noe: Petrus est animal; ergo fuit in Arca Noe*. Ratio est, quia medius terminus *Animal* non assumitur in majori distributivè, hoc est pro quocunque inferiori, & ideo neque concludi potest de quocunque individuo. Animal ergo in majori enunciatione sumitur quoad speciem, & in minori quoad singulare individuum, quod est Petrus. Hinc est, quòd cùm existentia in Arca Noe, ac Petrus, unì, eidemque animali non conveniant, nec inter se convenire possunt.

Regula nona. Medius terminus debet esse talis nature, ut non gerat extensionem ad ea, que inter se distincta sunt. In hoc enim casu etiamsi extrema idem forent cum eo, adhuc inter se manerent distincta; & sic non argueretur eorum identitas, eoquòd essent idem cum tertio. V. g. si dixerim. *Roma est præsens Deo: Venetiæ item Deo; ergo Roma, & Venetiæ sunt quoquè inter se præsentes*. Non est bona hec argumentatio, quia Deus ratione sue immensitatis attingit etiam ea, que inter se distant.

Regula decima. Extremum, quod

non

non distribuitur in pręmissis, neque in conclusione distribuendum est. Vnde non rectè cadit hic syllogismus. *Omne discursiuum est homo : sed omne discursiuum est substantia ; igitur omnis substantia est homo*. Ratio est, quia cum medio termino, qui est *discursiuum*, identificatur quædam substantia tantùm, & quidam homo tantùm ; ergo quędam substantia tantùm uniri debet cum quodam homine tantùm. Quòdsi unias omnem substantiam homini, jam assumis eam in conclusione distributivè, unisquè cum extremo, quod unitum non fuit cum tertio.

Et hìc statim opportet scire, quandonam terminus distribuatur. Itaque in enunciatioue affirmativa, etiamsi ea sit universalis, attributum non distribu itur unquam. V.g. si dicam : *Omnis homo est ens*, reddit sensum *est aliquod ens* ; *est sagax*, innuit *est aliquod sagax* &c. E contra si enunciatio sit negativa, pręedicatum distribuitur; & hoc ex eo, quòd negatio cadens in terminum particularem, vertit in universalem. Unde si enuncies : *nullus homo est equus*; vox ista *equus* extenditur ad omnem, & facit sensum, quòd nec sit equus *a.* nec *b.* nec *c.* &c. Subjectum verò enunciationis nunquam distribuitur, nisi eidem aut

ad-

addantur termini communes, v. g. *omnis, nullus* &c. aut enunciatio sit de re necessaria. Quare si dicas; *homo est sensitiuus*, vox *homo* assumitur distributivè, scilicet pro quovis homine, quia esse sensitiuum necessaria est res.

Pro singulis figuris aliquot regulæ peculiares.

PRęter dicta, unaquęque figura suas habet regulas, quarum enodatio huc à me non inscienter remissa est, quia lucem ab iis expectabant, quę iam de syllogismo in communi tradita sunt. Igitur.

In prima Figura

Sit minor affirmans, nec major sit specialis.

Primò enim ex minori negativa nihil directè sequitur. Vnde non bene currit hic syllogismus. *Omnis homo est substantia; nullus equus est homo; ergo nullus equus est substantia*. Ratio est, quia *substantia* in majori non distribuitur; assumitur enim pro aliqua tantùm substantia: sed in conclusione

ne utpotè negativa distribuitur; unde in ea de omni equo negatur omnis ratio substantiæ, quamvis de ipso aliqua tantùm negari debeat. In *Fapesmo* autem, qui est modus indirectus, bene fit deductio; *ergo aliqua substantia non est equus*. Ratio patet; quia, ut ait major, aliqua substantia convenit cum homine; nullus equus, ut ait minor, convenit cum eodem; ergo aliqua substantia non convenit cum equo. Malè igitur inferres, quòd nulla conveniat.

Secundò ex majori particulari non deducitur quidquam. V. g. si dicas: *quoddam animal est equus: omnis homo est animal; ergo quidam homo est equus*. Ratio est, quia medius terminus *animal* nunquam distribuitur. Fit enim sensus in majori, quòd equus est quidam animal; in minori, quòd etiam homo est quidam animal, sed tamen non idem. Quare non bene arguis, hominem, & equum esse idem.

In secunda Figura

Una negans preeat , nec major sit specialis .

Primò enim ex duabus affirmativis hęc Figura non concludit . V.g. *omnis arbor est vivens* ; *Omnis canis est vivens* ; *igitur omnis arbor est canis* . Ratio est , quia medius terminus non distribuitur in prȩmissis ; & ideo sequitur absurdum quod supra .

Secundò ex majori particulari non deducitur quidquam in hac figura . Quare foret vitiosus hic syllogismus . *Quodam corpus non est gemma : omnis adamas est gemma* ; *ergo nullus adamas est corpus* . Ratio est , quia *corpus* distribuitur in conclusione , non autem in majori prȩmissa . Si ergo ab uno tertio , quod est *gemma* segregetur aliquod corpus , eidemquè tertio uniatur *omnis adamas* , aliquod tantùm corpus abjungi etiam debet à *gemma* . Conclusio igitur inferenda est sic : *ergo aliquod corpus non est adamas* .

In Tertia Figura

Sit minor affirmans; conclusio sit specialis.

Primò enim hęc figura non bene concludit ex minori negativa. Vt si dixerim: *Omnis arbor est vivens; quædam arbor non est homo; ergo quidam homo non est vivens*. Ratio est, quia *vivens* distribuitur in conclusione, non autem in majori; unde sequitur vitium superiùs dictum.

Secundò in hac figura conclusio non est communis. Propterea erit absurdum, si enunciaverim: *Omne astrum est ardens: Omne astrum est substantia; omnis ergo substantia est ardeus*. Ratio est, quia *substantia*, quæ non distribuitur in minori, manet distributa in conclusione, quod est vitiosum. Conclusio germana est; *ergo quædam substantia est ardens*. Patet, quia cum termino *astrum* unita fuerunt hęc duo, *quoddam ardens*, & *quædam substantia*; ideoquè duo hæc tantùm uniri debent simul.

Quę axiomata si non negligantur, bonæ in quacunque figura contingent argumentationes. Verumtamen non ęquà evidentià omnes concludunt; nam

nam quę attinent ad primam figuram, & maximè in modis, qui vocantur directi, clariores omnino sunt, quia ex connexione præmissarum constat immediatè, atque confestim bona deductio conclusionis. Quæ verò fiunt in secunda, sive tertia, subobscurę manent ob conversiones enunciationum. Et idcirco vocantur etiam argumenta imperfecta. Est autem res usitatissima, ut hęc eadem à Logicis revocentur in modos primæ figuræ directos. Quod si contingat, non ægrè constabit de bonitate illorum. Notetur ergo hìc statim.

Modus reducendi syllogismos.

AD intelligentiam præmoneo, secundam, tertiamquè figuram reddi posse consimiles primæ; siquam convertant enunciationem in syllogismo, qui sit reducencendus. Enimverò cùm secunda figura bis prædicet medium, & bis tertia subiiciat, si fiat conversio propositionis aliqua, medius terminus revocatur ad normam, quam retinet in prima. V.g. si arguas in secunda figura sic: *Nullus equus est homo: sed omne discursiuum est homo; ergo nullum discursiuum est*

est equus; vox *homo* est medius terminus, qui dicitur bis. Revocabitur ad primam figuram, si convertas attributum majoris, & evadat subjectum. Hac enim ratione medium subiicietur in majori, attribuetur in minori, & fiet argumentum sic: *Nullus homo est equus; omne discursiuum est homo; igitur nullum discursiuum est equus.*

Hoc dato, norma redigendi argumentationem secundæ, tertiæquè figuræ ad aliquam primæ, isthæc esto. Notandum est, unumquemque modum, qui vocatur subobscurus, aut imperfectus, habere initium sive in b. sive in c. sive in d. sive in f. Qui ergo initiatur in b. indicat, revocari debere ad *Barbara*; qui verò in c. ad *Celarent*; qui autem in d. ad *Darij*; & qui demum in f. ad *Ferio*. Et hæc reductio vocatur *Ostensiva*, eoquòd si fiat, ostendit omnino bene deduci conclusionem. Excipe tamen ab hoc monito *Baroco*, & *Bocardo*, qui non *ostensivè*, sed *impossibiliter*, ut ajunt, reduci consueverunt.

Præterea ut scias quomodo fieri debeat conversio enunciationum, nota secundò in quovis modo imperfecto hasce quatuor consonantes s. p. m. c. quarum singulæ indicant

vocalem antecedentem, ac propositionem in ea significatam.

Ubi ergo inveneris consonantem *s.* in modo imperfecto, enunciationem in vocali antecedente notatam verte simpliciter. V. g. in *Celantes* adinvenitur *s.* in fine: si ergo conclusio negativa convertatur simpliciter, argumentum ex modo imperfecto redigitur ad *Celarent* perfectissimum.

Vbi adinvenies consonantem p. convertatur enunciatio in antecedente vocali notata, per accidens. Ita *Baralipton* habet consonantem p. in extremo sitam, innuitquè conclusionem hujusce modi conversam per accidens, efficere syllogismum in *Barbara*.

Vbi notaveris consonantem *m.* trasfer majorem in sedem minoris, & è contra. Ita *Camestres* quia gerit *m.* post *a.* innuit majorem universalem esse statuendam ubi minor; & sic fiet argumentum in *Celarent*.

Vbi videris consonantem c. adverte hunc modum carere iam dicto artificio, si tamen c. in ejus medio situetur; ut in *Baroco*, & *Bocardo*, qui non ostensivè reduci queunt, sed tantùm ut inquiunt *impossibiliter*. Et hæc monita duobus contracta versibus exscribito. *Simpliciter verti vult* s.p.*verò*

per

per acci: m. *vult transponi:* c. *per impossibile duci.*

Fit autem hæc extrema reductio quando negata conclusione argumenti, assumitur ejus contradictoria & sic inferitur cum quappiam ex concessis, ut qui negaverit, omnino cogatur sibi contradicere, hoc est rem affirmare, ac negare; quod si contingat, concedit omnino impossibile, seu quod concedendum non est. V.g. si arguas in *Baralipton. Omnis homo est substantia: omne discursiuum est homo; ergo quædam substantia est discursiva*; cũ quis negaverit consequentiam, sumi debet contradictoria enunciationis negatæ sic: *Nulla substantia est discursiva*. Deinde major concessa: *Omnis homo est substantia*. Ex quo cadit: *ergo nullus homo est discursiuus*. Quę propotio est contraria minori concessæ; imò & contradictoria, si ea convertatur, ut converti potest.

Vltimò advertendum est, posse in uno modo non unam inveniri ex dictis jam consonantibus; & ideo plures etiam in eo adhibendas esse conversiones. V. g *Camestres* habet duas omnino *s*; & ideo fit, ut duę hìc enunciationes converti debeant simpliciter. Habet quoquè consonantem *m*; unde major in situm minoris, & minor in majoris locum transferendæ sunt.

Modus reducendi reliquas argumentationes ad syllogismum.

PRimò Enthymema revocatur ad syllogismum, si antecedenti nova enunciatio addatur. Verùm ut scias, quænam enunciatio apponenda sit, major ne, an minor; advertas. Quando enthymema idem gerit attributum in antecedenti, & consequenti, major addenda ut plurimùm est. V. g. si arguatur: *Omnis homo est sagax; ergo Franciscus est sagax*, jam utrobique, hoc est in antecedenti, & consequenti cernis attributum omnino idem. Itaque signum est, subrogandam esse minorem sic. *Omnis homo est sagax; at Franciscus est homo; ergo Franciscus est sagax*. Ex adverso quoties attributum in utraque propositione diversum erit, scias tunc deesse majorem. V. g. si dicatur. *Petrus est Doctor; ergo fuit studiosus*, jam vides non idem esse utrobique attributum. Ergo signum est pro syllogismi extructione majorem esse sufficiendam sic. *Omnis doctor fuit studiosus; at Petrus est doctor; ergo fuit studiosus.*

In-

Inductio revocari potest ad syllogismum; si enunciatio minor addatur. Res enim est usitatissima, ut quę acervantur in antecedenti, serviant instar maioris. V.g. si dicatur. *Saturnus, Mars, Venus* &c. *moventur; igitur omnis Planeta movetur*, habes inductionem, quæ migrabit in syllogismum, si antecedenti nouam, hoc est minorem subdas enunciationem, hoc modo. *At omnis planeta, non est nisi Saturnus, Mars, Venus* &c. ergo &c.

Dilemma efficitur in syllogismum addendo ei parti, quæ conceditur, maiorem, aut minorem iuxta normam Enthymematis. V.g. si concedat magister, se non bene docuisse rhetoricam, arguitur sic à discipulo. *Non bene docuisti; ergo non debeo mercedem*. Abibit in syllogismum sic. *Quicunque non bene docet rhetoriricam, ei merces non debetur: Tu non bene docuisti rhetoricam; ergo tibi merces non debetur*. Qua in re tota cura ea sit, ut cogatur adversarius aliquam concedere argumenti partem. Mox assumatur concessa; & iuxta dicta syllogismum strues.

Exemplum reducitur quoquè hoc modo. Afferenda est causa, cur attributum conveniat subiecto. Mox addito adverbio *ideo*, sive *intantùm*

&c. ostenditur ex eo unico, & mero motivo ejusmodi attributum dici; & sic efformatur propositio major. Hinc ostenditur, eam quoquè causam, sive motivum inveniri & in eo, ad quem argumentamur, & ita oritur enuuciatio minor. Quo facto, emanat etiam conclusio. V. g. *strenuus dux præmio affici debet*; *ergo & Doctor egregius*. Abibit in syllogismum sic. Enuncia causam, cur Duci strenuo debeatur præmium; & sit v. g. *Quia naviter suum munus exercet*. Hoc dato, junge causam eandem antecedenti enunciationi, addita *intantum*, sive *ideo*, & dic. *In tantùm strenuo Duci afferendum est præmium, quia naviter exercet suum munus*. Mox ostende hanc etiam esse in Doctore viro, sic: *Sed etiam Doctor egregius naviter obit suum munus*; *Ergo & isti debetur præmium*.

Denique Sorites migrat in syllogismum, si attributum enunciationis, quę subinde antefertur, evadat subjectum sequentis. Quamobrem adverte, Soritem esse argumentationem, in qua diversæ propositiones gradatim coacervantur, itaut ex una in aliam descendatur usque ad conclusionem. V.g. si dicam: *Omnis homo est animal*; *omne animal est vivens*; *omne vivens est corpus*; *omne corpus est sub-*

substantia; *igitur omnis homo est substantia*. Syllogismus est, quia unaquęque intermedia enunciatio servit pro minori, ut de se constat. Vtebatur hoc genere argumentandi Themistocles, ut convinceret, natum suum vix triennem totius jam Orbis esse Dominum, sic. *Europa dominatur Orbi*; *Europæ Græcia*; *Græciæ Vrbs Athenarum*; *Athenis Themistocles*; *Isti Vxor*; *Vxori Natus*; *Igitur Orbi dominatur Natus*. Est inquam syllogismus, quia omnis enunciatio media inservire potest quasi minor. V. g. *Europa dominatur Orbi*; *sed Natus dominatur Europæ*; *igitur & Orbi dominatur*. Porrò ea minor convincitur per inductionem, ut in serie iam dicta, & gradatim facta.

SVBLECTIO QVARTA.

Variæ syllogismi divisiones; boni discursus instrumenta.

DIviditur syllogismus, tam ratione formæ, quàm ratione materiæ diversim. Potest enim forma ex vario terminorum, & enunciationum statu commutari, quemadmodum & materia, cùm aliquando necessaria, & sæpenumero contingens ea sit; unde varia etiam occurrit syllogismorum divisio.

Divisio ergo prima ratione formæ habetur in syllogismum, qui vocitatur *expositorius*; & is est, qui rem fermè ob oculos vi suæ bonitatis, evidentiæquè adducit. Habet enim terminos omnino singulares. Vt v.g. *Hic homo currit; Petrus est hic homo; ergo Petrus currit*. Qua in re advertas, hunc terminum singularem esse debere non communem diversis inter se distinctis; alioquin absurda fieret argumentatio, quemadmodum & supra convicimus. Inde non bene argues. *Pater æternus est Divina essentia: Verbum æternum Divina essentia; ergo Pater æternus est* Ver-

Verbum æternum. Aut si teneas hujusmodi argumentationem esse bonam hoc non negabo quoad ratiocinium, scientiamque nostram: theologicè tamen deficit, quia materiam, circa quam est, non scitur, sed tantùm creditur.

Divisio secunda est in *Modalem*, qui nimirum, aut quappiam, aut utraque constat enunciatione modali: Et quia modi recensentur quatuor; necesse, impossibile, contingenter, & pessibile, totidem oriri queunt argumentationes.

Divisio tertia est in *Hypotheticum*, qui alterà struitur, sive utràque hypotheticà. Tres autem sunt hujusmodi argumentationes. Prima est *Conditionalis*. V.g. *Si Ianuarius est, hyems est: sed nunc Ianuarius est; ergo hyems est*. Qua in re notabis, aliquam esse debere connexionem inter conditionatam, & eam, quę sub conditione infertur, ut jam à nobis dictum est. Secunda vocatur *Copulativa*. Vt. *Non est quis doctus, & indoctus*: at *Petrus est doctus; ergo non indoctus*. Vbi cognoscis, à positione unius bene inferri negationem alterius. Tertia *Disiunctiva*. Vt si dicas. *Aut dies est, aut nox: Non est nox; ergo dies*. Qua in re notabis, non debere inter disiuncta esse medium; secus non ritè argue-

res v. g. si dicatur . *Petrus , aut est rhetor , aut mathematicus* : *Rhetor est , ergo non mathematicus* . Consequentia non currit , quia potest contingere , ut neque sit rhetor , neque mathematicus . Quamobrem ea disiunctiva non est bona , quia inter disiuncta reperitur medium . Si enim Petrus merè sit v. g. physicus , tunc non bene dicis ; aut mathesim callere , aut rhetoricam . Itaque argumentatio disiunctiva debet esse inter extrema , quæ coire nequeant ; & sic à positione unius arguitur scitè ad negationem alterius , & è contra . V.g. si dixerim: *Aut sanus est , aut infirmus* : *non est sanus , ergo infirmus* . Et è contra : *non est infirmus , ergo sanus* .

Altera divisio syllogismi est ratione materiæ , quam substernimus , aut necessariam , aut contingentem , aut falsam ; & inde oriuntur syllogismi , *Demonstratiuus* , *Topicus* , atque *Sophisticus* .

Demonstrativus dicitur , qui præmissas habet veras , & necessarias ; unde veram quoquè , ac necessariam deducit conclusionem . V. g. *Omnis homo est animatus : Omne discursivum est homo : igitur omne discursivum est animatum* .

Topicus gerit majorem , & minorem non certas , ac necessarias ; verùm pro-

probabiles tantùm. V. g. *Omne astrum est igneum: cor cycni est astrum; ergo cor cycni est igneum*. Hęc enim materia, quòd astra sint ignea, censetur à quibusdam habere tantummodo verisimilitudinem.

Sophisticus tandem vocatur, qui præmissis constat quidem falsis, verumtamen non sine fuco veritatis. Hoc verò contingere potest, aut ratione materię, aut etiam formę, qua maior, & minor malè inter se concinnentur. V.g. si dicas: *Quicumqoe credit, est iustus: Turca credit; ergo Turca est iustus*, erit argumentatio sophistica ratione materię, quia mera credentia non statuit in homine justitiam. Sin verò sic: *Omnis homo est vivens: omnis arbor est vivens; igitur omnis arbor est homo*, dicitur sophisticus ratione formæ, quia in secunda figura ex duabus affirmativis non bene concluditur. Medius enim terminus non distribuitur.

SUBLECTIO QUINTA.

Fallaciarum Detectio.

Vniversalia boni discursus Instrumenta.

ADmodum nos removent à consecutione veritatis fallaciæ quædam, cùm nostris ratiocinationibus insinuant sese, aut quòd artem sermocinandi non bene quis teneat, sive quia dolosè cum ipso agitur. Non ergo parum juverit, si ea sophismata detegamus, ne conantibus ad boni metam discursus obicem ponant.

Primò igitur erit fallax argumentatio, quotiescunque termino constabit æquivoco. Vnde non bene ratiocinaris hoc modo. V. g. *Populus est arbor: Gens Veneta est populus; ergo est arbor*. Sophisma continetur in termino *populus*, & sic detegitur. Populus arbusti genus est arbor, conceditur: populus, qui sit cœtus hominum, negatur.

Secundò si uox quæppiam in argumento sit amphybologica. V. g. *Qui bene agit, beatitate donabitur: Dialecticus*

ſticus bene agit ; ergo beatitate donabitur . Captio eſt in termino *bene agit* ; & ſic removetur . Qui bene agit Deo , concedo ; qui doctrinæ , aut ingenio, nego .

Tertiò ſi tranſitus fiat à ſenſu composito ad ſenſum diviſum . Vt *neceſſe videtur , hominem reum damnari ; ergo qui reus eſt , ſalvari nequit* . Fraus eſt in termino *reum* ; & ſic evitatur . Neceſſum eſt damnari reum , ſi decedat cum reatu , coceditur ; qui reus extitit , ſed non eſt modò , negatur .

Quartò ſi tranſitus fiat à ſenſu diviſo in compoſitum . Vt *contingens eſt , ignauum fieri ſtrenuum ; ergo vir ignauus eſſe poteſt ſtrenuus* . Latet error in termino *fieri* ; & removetur ſic diſtinguendo . Contingens eſt , ignavum fieri ſtrenuum , compoſitè , ſive ſimul , nego ; diviſim , concedo . Nam revera qui hodie marcet ignavià , poterit ſe ſtrenuè gerere in craſtinum .

Quintò ſi à re unius prædicamenti tranſeatur ad rem alterius . Vt. *Quidquid coquus emit , comediſti : coquus emit carnes crudas ; ergo has comediſti* . Fallacia eſt in termino *quidquid* : nam in majori venit ut mera ſubſtantia ; in conſequenti verò comprehendit & accidens . Abigitur ita :

co-

comesum est quidquid coquus emit, ratione substantiæ, concedo; ratione accidentis, nego.

Sextò si tribuatur aliquid subjecto, quod tantùm accidenti convenit; & hoc sophisma vocatur *accidentis*. V. g. ista cathedra nuper facta est: ista cathedra est abiegna; ergo abies nuper facta est. Sophisma continetur in voce *facta*; siquidem hoc attributum non datur subiecto, sed formæ tantummodo, quam ars induxit abieti; & arcetur sic: Ista cathedra facta est, quoad materiam, negatur; quoad formam, conceditur.

Septimò si transitus fiat à *secundùm quid in simpliciter*, & è contra. V. g. datur vesci carnibus die Jovis; ergo datur vesci dietim. Petrus est bonus; ergo est bonus mathematicus. Removetur fallacia distinguendo: Petrus est bonus ratione morum, esto; in omnibus, non conceditur.

Octavò si non serventur conditiones requisitę ad *elenchum*. Est autem elenchus argumentatio, quę duo infert contradictoria. Si bene inferat, bonus elenchus dicitur; si non ita, malus. Quod sophisma ut evitetis, discite ab Arist. 1. elench. cap.4. ad veram contradictionem requiri, ut sit de uno, eodemque respectu ejusdem, & in omni rigore, quemadmodum

ante

ante innuimus. Quare si dicas. *Dormit noctu, non dormit diù; ergo dormit, & non dormit*: hæc revera non est contradictio. Distinguitur enim sic; dormit, & non dormit simul, hoc est respectu ejusdem, nego; divisim, seu diversis horis, conceditur.

Nonò si transeatur *à copulativo* in disiunctiuum. V. g. *Fieri nequit, ut evitetur omne veniale peccatum: at risus immodicus est veniale peccatum; ergo fieri nequit, ut risus immodicus evitetur*. Non est bona hæc argumentatio; & ratio affertur, quia suppositio majoris est de omni peccato unitim; & consequentia significat de quoppiam dumtaxat. Quamvis autem evitari omnia collectivè non queant, benè risum immodicum evitabimus.

Decimò si fiat suppositionis variatio. V. g. *mus est syllaba; mus rodit caseum; ergo syllaba rodit caseum*. Sophisma est in termino *mus*: Etenim in antecedenti sumitur pro voce; in consequente pro re, sub voce contenta; & sic varietur significatio, seu termini suppositio.

Vndecimò si aliqua fiat suppositio non subsistens. V. g. *quidquid non amisisti, habes: centum aureos non amisisti; ergo habes*. Fallacia est in suppositione

ſitione non ſubſiſtente, quòd nimirum habueris centum aureos, & nunquam amiſeris. Occurritur errori ſic diſtinguendo. Habeo quidquid non amiſi, dato quòd habuerim, concedo; nego autem, ſi non habui unquam.

SUBLECTIO SEXTA.

Præcipuæ Logicorum Diſtinctiones: alia boni diſcurſius Inſtrumenta.

EX jam dictis perſpecta res eſt, quàm bene ad humani ratiocinii uſum ducatur quicunq. non ignoraverit ſcitè diſtinguere, quoties argumentatio extiterit fallax, ambigua, captioſa, obſcura, & veritatem in tenebris quodammodo teneat, ne foras emergat. Conſultò igitur acturum arbitror, ſi quæ adhuc manent diſtinctiones, huc brevi adduxerim.

Diſtinctio prima. *Realiter*, & *per rationem*. Ea dicuntur diſtingui realiter, quæ in re, ſive independenter à ratione noſtra ita ſe habent, ut unum verè non ſit aliud. V. g. in homine anima

anima realiter distinguitur à corpore; quòd hæc duo sunt verè, ac sine fictione distincta, quæ proinde sejungi etiam ab invicem queunt. E contra distinctionem habent *rationis*, quę tametsi unum sint, atque idem, intellectu nostro in varia secernimus, eoquòd illa sive inadæquatè concipere, sive sub diversa ratione attingere consuevimus. Ita in homine gradum substantiæ à vivente, gradum viventis à sensitivo, gradum sentientis à rationali non rarò distinguimus; & hæc vocatur distinctio *rationis*.

Distinctio secunda. *Materialiter*, atque *formaliter*. Convenit rei materialiter, quod ei ratione materiæ debetur. V. g. nigrum, & frigidum possunt esse idem materialiter, quia subjectum, sive materia, cui nigredo inexistit, non respuit & habere frigus. E contra dicitur id rei formaliter convenire, quod ei ratione formæ attribuitur. Sic Doctor formaliter docet, quia hoc facit, non ut homo est, sed quatenus habet doctrinam, in qua formà universa docendi ratio subsistit.

Distinctio tertia. *Specificativè*, ac *reduplicativè*. Convenit ferè cum antedicta. Nam quod rei ratione materiæ debetur, hoc dicitur etiam specificativè deberi: ut v. g. Musicus ędi-

ædificat. Non enim hanc exercet actionem, quatenus habet musicam, quæ non est ratio ædificandi; verùm ut homo est, in hac etiam arte non ignarus. Contra verò ea conveniunt reduplicativè, quæ ratione formæ, nec diversam ob causam attribuuntur. Sic musicus verè ut musicus, nimirum quatenus habet musicam, ex arte cantat.

Distinctio quarta. *Ut quo*, & *ut quod*. Res dicitur talis ut quo, cùm per se hujusmodi est, non autem ratione alterius; imò cùm est prima ratio, cur cœtera omnia talia sint. V. g. frigus dicitur frigidum *ut quo*; nam de se ita est, non virtute alterius, qua in esse frigidi constituatur. Imò ipsum unica ratio censetur, cur nix, grando, & cœtera frigida sint. Quamobrem ista omnia dicuntur esse frigida *ut quod*, cùm ea sint verè subjectum, quod in se frigus habet.

Distinctio quinta. *Potentia*, & *Actu*. Id est actu tale, quod in se habet formam, unde manat denominatio. Sic ignis v. g. est actu calidus. Quod autem non habet formam, sed habere potest, vocatur tale *potentia*. Sic manus mea calida est potentià, quia quo jam caret, calorem intra se habere potest. Huic etiam

sese

ſeſe conformat diſtinctio *formà*, & *virtute*; ut v. g. ignis continet in ſe calorem actu, ſive formà; vinum verò Creticum virtute tantùm, eoquòd tantæ virtutis eſt, ut quem in ſe verè non habet, in haurientibus efficere poſſit calorem.

Diſtinctio ſexta. *In actu primo*, & *in actu ſecundo*. Dicitur id eſſe tale in actu primo, quod etſi actum non exerceat, potens tamen eſt ad eum exercendum. Sic dormiens vocatur ſciens in actu primo; quamvis enim nulla tunc ſcientia utatur, eà tamen uti poterit cùm de ſommo exurrexerit. E contra dicitur eſſe tale in actu ſecundo, quod revera in exercitio eſt. Sic v. g. ego jam doceo in actu ſecundo, quia verè doceo.

Diſtinctio ſeptima. *Eſſentialiter*, & *accidentaliter*. Id convenit rei eſſentialiter, ſine quo res nec eſſe, nec adequatè cognoſci poteſt. Hoc modo convenit homini rationalitas. Contra verò id convenit rei accidentaliter, ſine quo res aut eſſe, aut cognoſci ſaltem poteſt. Hac ratione doctrina v. g. convenit Petro.

Diſtinctio octava. *In ſenſu compoſito*, & *in ſenſu diviſo*. V. g. ego in ſenſu compoſito ſedere poſſum, & vos docere lectionem, quia hæc duo

exer-

exerceri simul queunt. Contra verò sedere possum, atque gradi, non in composito, sed in sensu diviso; non enim ista simul agit quis. Cui etiam distinctioni morem gerit ea, quę dicitur *potentia simultatis*, & *potentiæ simultas*. V. g. potentiam habeo simultatis ad vos docendum, atque sedendum, quia hæc duo exerceo simul. At verò ad hìc sedendum, atque gradiendum habeo tantummodo simultatem potentię, quia sicuti potens ego sum ad nunc sedendum; ita eàdem potentià uti queo ad hinc abeundum, si non sederem.

Distinctio nona. *Intrinsecè, ac extrinsecè*. Dicitur id esse tale intrinsecè, quod habet in se formam actu inexistentem. Sic paries intrinsecè albus est; nix intrinsecè frigida &c. Extrinsecè verò dicitur esse tale, quod verè in se non recipit formam, à qua tamen denominatur. Sic murus dicitur extrinsecè visus, non quia visionem in se habeat, sed quia terminat.

SUBLECTIO VLTIMA.

Pro bonitate consequentiæ Axiomata.

PRimum. *Ex vero non deducitur nisi verum in bona consequentia.* Ratio est, quia omne consequens, dummodo ritè inferatur ex antecedente, continetur in ipso; ideoquè veritas consequentis in veritate antecedentis implicita est, atque ratione connexionis mutuæ una sequitur aliam. Quòdsi ex antecedenti vero in bona consequentia deduci posset consequens falsum, esset idem verum, & non verum, ut de se constat. Hinc habetur commuue axioma: *qui tenet antecedens, tenet & consequens*, dummodo bona illatione sequatur. Ex quo vides, in antecedenti totum id contineri, quod mox ratiocinando in consequenti deducitur. Etenim qua ratione ab eo extraheretur, si non esset pręcontentum?

Secundum. *Consequentia valet à concessione inferioris ad superius: non è converso.* Sic v. g. ex eo quòd sit homo, qui est quid inferius, bene sequitur esse animal; nam hoc imbibitur

tur in esse hominis. Non ita vice versa. Nam si concedatur sensitiuum, non sequitur & dari hominem. Ratio est, quia terminus hic *sensitiuum* extenditur etiam ad ea quæ non sunt homo, ut ad canem, ad æquum &c. Igitur dato superiori sese latiùs extendente, non bene arguitur ad inferius.

Tertium. *A negatione superioris consequentia tenet ad negationem inferioris: Non è contra*. Itaque si negetur animal, homo etiam negari debet. Ratio est, nam superius extendit se ad omnia sua inferiora, & ad ea æquà ratione distribuitur. Si ergo neges quod se in omnia necessariò demittit, etiam hæc ipsa neganda sunt. V.g. *Non datur animal; ergo nec homo*. Non tamen si negetur inferius v.g. homo, negari & animal debet. Nam in ea ratione, qua excedit hominem, bene animal in cœteris brutorum speciebus existet.

Quartum. *Quidquid causa est antecedentis, causa est & consequentis*. Debet hoc tamen ita intelligi, ut antecedens vera causa sit. Ratio affertur, quia si antecedens vera sit causa consequentis; ergo in se continet consequens (nam ideo consequens ab eo infertur, quia in eo continetur) Igitur quod causa est antecedentis, est etiam

etiam causa ejus, quod continetur in ipso; nimirum consequentis.

Quintum. *A causa, quæ sit in actu secundo, consequentia tenet ad effectum; & vice versa, ex effectu consequentia tenet ad causam*. V. g. dato quòd ignis urat, bene sequitur uri quidpiam. Ratio est, quia omnis actio causæ habet suum terminum; ergo si urit ignis, aliquid uritur. Ita quoquè si uritur quid; ergo & est causa urens. Quòd si effectus non terminet actionem causæ, sive ut ajunt, non sit in fieri, tunc ab ipso non ritè arguitur ad causam. V. g. ex eo quòd Roma combusta sit, malè inferres, nunc esse ignem.

Sextum. *A positione tertii adiacentis consequentia tenet ad positionem secundi; modò attributum sit contingens, & non ampliatiuum, aut necessarium, sive in essentia consideratum*. Ita tenet: *Petrus est doctus*; ergo Petrus est. Suadetur, quia prędicatum contingens denotat existentiam subjecti, de quo dicitur. Sin verò attributum sit ampliativum, non denotat existentiam subjecti; ut si enunciem: *Rosa est cognita; ergo rosa est*, non valet. Ratio convincit, quia terminus *cognita* extenditur etiam ad tempus, quo rosa non existens, cognosci potest. Ideo ex eo quòd cognoscatur,

non

non infertur quòd ea sit. Consimiliter si attributum sit necessarium, non arguit existere subjectum. Itaque non tenet: *Homo est sensitiuus; igitur homo est*. Patet hoc, quia terminus hic *sensitiuus* cùm sit necessarius, non infert existentiam hominis contingentem. Unde verum est, in essentia sua hominem esse sensitivum, etiam si homo actu non existat.

Septimum. *Ab actu ad potentiam consequentia rectè infertur; non verò è converso à potentia valet arguere ad actum*. Ratio constat; nam actus est exercitium potentiæ, quod revera dari nequit, nisi causa sit, quæ se in agendo exerceat. Unde si actus est, ergo à causa, quæ sit potens influere, imò etiam influat, omnino est. E contra non bene arguitur à potentia in actum; quia etiamsi detur causa potens ad se in eo exercendum, non semel contingit eam otiari, & se abstinere à quocumque actu.

Octavum. *A simpliciter consequentia tenet ad magis*. Ubi notandum est, pro veritate hujusce axiomatis requiri, ut certa quędam virtus conveniat de se, ac naturà suà terminis, non verò per accidens. V.g. frigus de se, atque naturà suà frigefacit; ergo frigus, quod erit majus, etiam magis frigefaciet. E converso, si termini non

non sint de se tales, verùm per accidens, non tenebit consequentia. V.g. si dicas: *Bonum est bibere creticum; igitur magis bibere creticum, magis bonum erit*. Non tenet, quia bibere creticum non est bonum naturà; sed per accidens juxta bibentis indigentiam. Secundò notandum est, debere terminos habere virtutem ad magis, minusquè sumendum. Ex cujus rei defectu non bene dixeris. Ob Sortem genitorem Franciscus est homo; ergo Sortes est magis homo. Ratio est, quia esse hominem non sumit magis, aut minus.

APPENDIX

De regula pro consecutione Veritatis.

QVæ hucusque tradita sunt de trino mentis humanę actu, Apprehensione, Judicio, atque Discursu, ea existimo Instrumenta esse, ut ad cujusque veritatis cognitionem non ægrè contendamus. Verùm hìc non tædeat (quod etiam inter pictores usitatissimum est) nescioquas circa extrema lineas ducere, ut magis consummatæ rei gratia siqua est, excitetur; seu nostrę saltem œconomiæ ordo teneatur, quæ jam in exordiis brevem pro veritatis consecutione appendicem in hunc locum spondebat.

Logica ergo, statim ac remotis ab intellectu erroribus certam boni ratiocinii methodum, hoc est præcipuum sui finem obtinuit, vix moratur quin eam cœteris etiam in disciplinis ad veri consecutionem adhibeat. Ea siquidem, ut videtur nonnullis, est, quę discurrit in Physica, in Mathematica, in Musica, in Arithmetica &c. Nisi mavis dicere,

non

non id munus Logicæ incumbere , ſed cœteris quibuſque artibus, ut prę-ſidiis nixæ dialecticis in certa ſui , ac determinata materia unaquęque ratiocinetur.

Utcunque res contingat , hoc ſaltem citra dubium eſt , in quavis arte , ſive facultate omnem humanæ mentis actionem adminiculo ſenſuum egere , ac proinde ſi argumentatio fieri debeat , id omnino requiri , ut res , quę ſermonibus noſtris tamquam materia ſubſternitur , à ſenſibus renuncietur . Ex quo vides , oportere nos duo habere ut inſtrumenta , quibus veritatem in omni re nanciſcamur ; *Senſum* videlicet , qui objecta omnia nobis gradatim ingerat ; atque *Mentem* , quæ ſermonem circa eadem ſuggerat . Fuit hæc Platonicorum ſententia , qui ut ait Cic. 1. Academicorum , dicebant : *Quamquam Philoſophia oriretur à ſenſibus , tamen non eſſe judicinm veritatis in ſenſibus . Mentem ajebant rerum eſſe Iudicem ; ſolam cenſentes idoneam , cui crederetur* &c. Hoc verò ipſum innuit & Ariſtot. initio Metaph. ubi oſtenſurus , cuiqne hominum hoc eſſe naturà inſitum , ut ſcire deſideret , in hujus rei argumentum revocat ſenſus , tanquam inſtrumenta , quibus co-

gnitio, & scientia omnis comparetur. Ait enim: *Omnis homo scire desiderat.* Mox id ostendit subdendo. *Signum est sensuum dilectio*. Et quia sensuum præstantissimus omnium est visus, addit: *Nos eligere ante cœteros videre ipsum*. Qua doctrinà satis ostenditur, hominem sibi comparare scientiam ex eo, quòd sensibus utatur; & hos etiam ideo in usum admitti, ut menti nostræ ad sciendnm opitulentur.

Hæc autem duo, *sensus*, *& mens*, eà lege procedant necessum est, ut si rem sensus non omnino revelet (innumera enim sunt, quæ deforis cognosci nequeunt) opem ferat *Ratio*: Si ratio minùs valuerit, *sensus* confestim accurrat, mutuoquè sibi prçstito subsidio, unà laborent ad veritatem. Neque secus videtur suadere Arist. 3. de Gener. anim. cap. 10. inquiens. *Non satis adbuc explorata quæ eveniant, habemus. Quòdsi quando satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit, quàm rationi credendum. Rationi etiam fides adbibenda est, si quæ demonstrantur, conveniant cum iis, quæ sensu percipiuntur, rebus.*

At verò itane uti sensu debemus ad veritatem, qui & ipse non raro falsus, menti etiam errores affingit? Proinde res maturiori attentione hìc

pre-

premenda uſt. Enimverò falluntur ſenſus; & id ſatis conuincunt ea, quæ inferiùs dicentur. Quinimò extitere Pyrrhonici, Academici, & hujuſce naturæ ſcientiſſimi, arbitrantes omnem à ſenſibus exulare veritatem, nec certi quidquam poſſe ab iis deduci: Nos verò cùm quid attrectamus, intuemur, deguſtamus, audimus, olfacimus, non rem habere omnino cognitam, ſed apparentem, incertam, dubiam, luſoriam, & ferè ſcenicam; adinſtar eorum, quibus imo ſomno cùm ſtertunt, umbræ, atque phantaſmatum ſpecies occurrunt. Nec una ratio eſt, quam pro ſe adducunt.

Prima ſumitur ab animalium differentia. Videmus enim, quòd una ipſa res necem affert quibuſdam, quibuſdam verò ſoſpitatem: Siue id à vario naturæ ingenio, ſiue à diuerſa membrorum ſtructurà contingat. Quamobrem ſi roges, cicutane ſit venenum, an cibus? dici tantùm poteſt, hoc in dubio verſari; quandoquidem ea coturnici nutrimento eſt, hominem verò lethali frigore necat. Si quęras, anguiſne ſit obnoxius? neque id ſatis manifeſtum eſt: adſunt enim animantes, quę tutà ſe ſe licentià commiſcent anguibus, eorumque carnibus veſcuntur, ut Soli-

nus, Neirembergius, Plinius, cœterique tradunt; ſicut è converſo quædam ſunt animantia, quæ ad unius aut viſum, aut colubri tactum tabeſcunt. Sanè Mitridates eodem toxico depaſcebatur, quod Socrati nex fuit. Cleopatram enecuit admotus anguis, cùm tamen Tiberius Cęſar parem iſti tractaret, atque innoxium ad ora uſque ſurrigeret. Ex quo vides, te certò enunciare non poſſe de rebus; noxiæne, an bonę; mortiferæ, an ſalubres; contrariæ, an nobis accommndæ ſint.

Secunda ſumitur à variis hominum, rerumque affectionibus, quę in cauſa ſunt, ne rem valeamus judicare ut certam, ſed cenſere tantummodo apparentem. Ita Demophon miniſter Alexandri ob diverſam naturę affectionem obrigebat cùm ſiſteretur ad Solem, qui tamen in umbra conſtitutus repentino æſtu ſudabat. Quare non ita facilè cognoverit quis de hoc ſidere, frigefaciatne, an verò è contra. Nix quoquè nunc manum infrigidat, nunc etiam calefacit, imò tumidam, fumantemque rubere cogit. Hinc non indubitatò ſtatues de nive, utrùm ſit, an non calida. Eàdem ratione parum ſcitè judicabis, quędam

dam esse noxia, molesta, infensa, dummodo excogites, ea sæpenumero fuisse remedio, ac juvamento. Sic Jasoni Ferço cùm vomicà laboraret, adacta per hostis manum sica sospitatem reduxit. Quid verò phantasia in nobis non agit, quę juxta diversam interni organi affectionem miranda omnino, & prodigiosa edere consuevit? Elephantum vidit nonnemo adhuc dormientem in aream egredi, choreas ducere, ad lunam se se torquere, proboscide jocari, fermè ac suus custos adesset, qui traditæ jam disciplinæ actionem exigeret. Homines verò & inter somnia quot jam deprehensi sunt iisdem fungi muneribus, quę non egissent majori curà vigilantes? Certè non unus extitit ministrorum, qui & somno detentus è strato surgeret, vestes indueret, comam pecteret, manus, faciemque ablueret; imò se mirum jucundiùs exhiberet. Processit enim, arreptàque cistà, ubi sarcinę servabantur ad mensam, stravit mappam, lances distribuit, concinnè omnia suffecit, admotisque circumsedibus, iterum abiit dormitum. Nonne igitur & de quocunque dubitare licebit an dormiat, quamvis verba faciat, gradiatur, functionesque obeat suas?

Tertia oritur à sensum in eodem animante diversitatibus. Enimvero mel suavissimum est ori, & organo visorio acerbissimum; unguenta naribus grata, faucibus morosa sunt; succi quidam lævigant cutem, sed arteriam exasperant. Sic in eodem sensu cibus molestiam facessit ægro, qui sano jucundus est; sonus quempiam recreat, qui tamen nonnullos fastidio enecat; musica nescioquem enervat, nescioquem in ferocem exacuit. Quamobrem in dubio versaris, nũ ita sit de re, ut apparet, an fallat.

Quarta ex diversa rerum situatione, mixtione, unione, abjunctione confusio judicandi ortum traxit. Sic picturarum, aviumque, ac sericorum situs, juxtaquòd vario inter se ordine collocantur, varias etiam tincturæ imagines amænissimè reddunt. Corpus etiamsi grave, si aer, aut anima, sive ignis ei commisceatur, multum de pondere amittit. Bovinum cornu si fuerit integrum, nigrescit; si comminuas, & in minima teras, albet. Argentum è contra si ducatur in bracteas, album est; si minutim concidas, abit in nigrum. Et hujuscemodi sunt, quæ omnem adimunt sensibus certitudinem, nec sinunt rei veritatem fieri nobis compertam.

Quinta

Quinta eruitur à casu, qui dubias reddere solet causarum actiones, & eorum effectus, qui agunt ex arte, atque intellectu, nonnunquam suspectos. Itaque cùm in Regis Pyrrhi gemma extiterit fortuitò incisus Musarum Chorus: isque tam affabrè, ut ibi novem adessent Virgines, imò & Apollo cum cithara; quis non ambigat de quovis etiam seu Phidiæ, sive cœterorum opere artificum, sit ne manu hominis, an casu elaboratum? Non invenustum est quod habemus de Protogene traditum, qui cùm ter, quaterquè attentasset ori equino spumam affingere, nec res ad votum successisset, in rabiem actus, centonem, ubi terserat pennicillos, ita in equum ejecit, ut quod arte non quivit, forte obtinuerit. Cento enim injectus tincturam spumæ ad os reliquit; *unde Protogenes minus fecerat, si non errasset*. Hæc igitur si casus egit, in re quoquè simili non diversim egisse arbitrandum est. Quamobrem nonnisi temerè diceres, te pro certo habere, hoc esse artis, hoc ingenii, & non sortis effectum. Ipsa urbium structura, quæ tantam fidem collatæ ab hominibus industrię facit, in dubio est, an iis quisquam peritus manum admoverit. Aliqua enim, ait Seneca nat. qu. 6.

cap. 30. visa sunt, quæ *parum apta positu suo, & à fabris negligentiùs composita, terræmotus sæpe agitata compegit*. Alia etiam ex integro à terrarum hiatu emisit, quemadmodum insulas, atque in iis adinstar domorum fornices, camerasq; adeout non indubius asserere valeas, hocne, aut hoc fuerit industrià hominum opus excitatum, cùm ex quodam temerario causarum concursu evenire potuerit.

Verùm enimvero utcunque fallantur sensus, & genuinam rei veritatem quandoque non teneant, minimè tamen judicandum est, nos in tanta versari umbra, ut quidquam certi non videamus. Adest enim *ratio*, sive *mens*, quę subsidium exhibet sensibus, & quò hi vadere nequeunt, illa discursu, atque argumentatione insinuat sese: quę duo instrumenta sunt, ut jam diximus, ad cujusque rei deprehensionem. Idcirco neutrum negligi debet. Non quidem sensus, quem tanti facit Aristot. ut 6. de Gen. cap. 10. dicat, *hunc interdum esse rationi anteferendum*; & 8. Physic. 3. *imbecillitatem esse mentis, posthabito sensu, quærere rationem*. Sed neque *menti* non fidendum est, cùm ea ut notat Empyricus, vocetur ab eodem

ar-

artifex; antecedens verò sensus *Instrumentum*. Sicut ergo ad statuæ fabricam non satis est habere instrumenta, si desit manus; imò nec manum, si ea non adsint; æqua ratione veritatem nec una *mens*, nec *sensus* tantummodo statuit, nisi hæc duo ad eam contendant simul.

Quòniam igitur non paucæ res ita sensibus occurrunt nostris, ut minimè sibi constent, nam variæ, imò & contrariæ nonnunquam sunt; non idcirco iis omnem abrogare fidem conveniens est. Ratio enim nostra certam ibi veritatem aliquando cognoscit, naturamque venata, non revocat in dubium effectus, quia diversimodè appareant; sed imò causam reddit hujusce diversitatis. V. g. si detegat sensus cænum igni expositum obdurescere, ceram verò abire in fluidam; non statim subvereri oportet, hunc effectum, quia varius est, esse quoquè vanum, atque lusorium. Adest enim ratio, quæ nanciscitur verum sic discurrendo. Humor, qui non innascitur cæno, sed merè affunditur, non admodum ei adhæret: itaque ab igne facilè in vapores attenuatur. Statim verò ac cænosæ materiæ non admiscebitur, intra eam crebra fiet rima, dehis-

centia, & ariditas. Verùm in cera, quia humor innatus est, obstinatiùs etiam hęret. Cùm igitur calefit ad ignem, incipit moveri; sed quia tam citò à materia dissociari nequit, vetatur ascendere: motus tamen in ea inceptus cogit cedere aliquò; & cùm sursum abire non sinatur, circum se diffluat necessum est. Ecce jam quomodo ab igne pro varia subjecti affectione tam diversus oriatur effectus. Hoc ipsum asseres de venenis, de anguibus, de uulneribus, cœterisque ut dicebatur. Etenim juxtaquòd subjectum extiterit communitum, affectum, dispositum, resab una, eademque causa tam diversa continget.

Quæ autem videmus fieri à somnambulis, non in eam opinionem nos adducere debent, ut justum sit ambigere de quocunque alio, an dormiat cùm suum peragit munus. Ratio enim docet rem committere non uni sensui, verùm traducere ad plures, quousquè certi quidquam constiterit. Proinde siquidem videris muneri suo addictum, ne fidas visui tantùm, sed etiam adhibe tactum, vellica, urge, imò si opus fuerit, verbera; & sic dignosces, eumne somnus habeat, an vigilet.. Quod si non sufficiat, coge ut ad rogata res-

respondeat, commemoret absentia, discurrat, & similia; quæ si obibit, certè ostendet, somno se non esse occupatum.

Ad ea, quæ facit casus, ita se fert ratio nostra, ut ritè distinguat, quid fortuitus causarum occursus, quid verò ars, quid ingenium elaboraverit. Quare si machina horaria v. g. exhibeatur, mens in eo tota erit, ut fabricæ structuram expendat; rotas nimirum, quæ mutuis dentibus trahunt se; funes, qui cylindrum aut onerant, aut exonerant; axes, qui ad extrema trajecti sphæras circumactas sustinent; motum, qui horas distinguit; stylum, qui notat; campanam, quę indicat; machinam denique totam doceat posse dissolvi, refici, corrigi ex arbitrio; unde notum evadat, hujusmodi rem esse ingenii, atque artis, non fortunę, aut casus. Itaque si etiam contigerit, ut quid verè casu factum exhibeatur, quemadmodum sunt quædam structuræ, aut figurę, non scitè arbitrabitur Pyrrhonicus, ob id esse quoquè de cœteris addubitandum. Quippe nostra mens maximam invenit in artefactis constantiam. Statuas enim incidit quis, cùm libet; domum struit; rhedam compingit; atque hujusmodi, quę

satis

satis convincunt, ea omnino non casu evenire, sed ex consilio.

Quinimò tantùm valet *Ratio*, ut innumera cùm sint, quæ in abdito, ac tenebris jacent, mens tamen nostra ratiocinio suo, atque discursu ea quasi ad intuitum trahat. Hujusmodi sunt formæ intrinsecæ, actiones internæ, virtutes insitæ, rerum texturæ intus ductæ, hujusque generis alia, quæ subsidio sensuum educi satis non queunt, nisi mens vocetur, quæ ad hoc suppetias ferat. Ex. g. cùm sensus teneat sudorem è cute dimanare; meatus verò, quibus ea minutissimè interseritur, non teneat, statim accurrit Ratio, quæ ut eos adinveniat, hoc ferè modo ratiocinatur. Hic humor corpus est. Si ergo ex cute manat, ea suis meatibus non caret. Hoc si neges, & sine meatuum concessione manare dicas; ergo duo quanta in uno sunt loco, & invicem penetrantur: quæ res ne cogitatui quidem nostro fiet accommoda. Consimiliter videt sensus crevisse arborem; sed animam non videt, cujus virtute succrevit, nisi mens ita discurrat. Recenter ex terra virgultum erupit, nec diu otiatum est. Nam obduruit in fustum, sobolevit in ramos, atque hos egit

circùm,

circum, frondibus undique, fructibusque onustissimos. Ergo non quemadmodum cautes, & saxa torpet Arbor. Itaque in ea quidquam intus existens coniiciendum est, ex quo virtus emutuetur, energia vigeat, motus eveniat; & hoc quidem anima ipsa est.

Ecce quomodo *sensui ratio*, & *sensus rationi* suffragetur, sintque sibi mutuò in subsidium, ut absconditum nobis verum, ejusque dignissimam visu faciem revelet. Hoc autem est, cui omnes bonæ mentis Viri, cùm se ad philosophandum scientissimè darent, egregiè studebant: Nimirum usi sensu, & ratione, tanquam instrumentis ad veritatis agnitionem. Alterutrum si omittas; continget quod Sphæro Stoico. Nam orto sermone circa Scios, an hi etiam opinarentur, id negante Sphæro, jussit Rex Ptolomæus cerea quędam poma ostendi: cùmque vidisset hominem deceptum, irrisit eum, quia sensu cùm esset usus, non adhibuit in re cognoscenda rationem. Hoc igitur utroque instrumento utendum est N. N. ubicumque occasio dabit; maximè verò in Physicis, ut si *Sensus* rem suaserit, acuta nimis, aut infirma ratio cedat: Quæ autem *rationi*

erunt

erunt notiſſima, ſenſus, qui tam crebrò ſallitur, non judicet. Sic enim ea duo ita ſe invicem attemperabunt, ut vos ſcientiarum rerum ſtudioſiſſimos manu ducant ad Veritatem.

***

Logicæ Docentis, aut Summularum Finis.

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

Secunda Pars Disputatrix.

PRÆLUDIUM.

TYrones jam suos Logica edocuit argumentationes efficere, sive quędam ingenii arma cudere, ut pugnam scholasticè ineant. Iis ergo ne rubigo inducatur, eos confestim ordini suo Pallas adscribit, educitque in aream decertatores. Hęc nimirum arena ingeniorum est, in

qua

qua tamen ut verum fatear non pauci oleum amittunt suum, cùm hi quidem, si bene Dii annuant, crassà Minervà satis uncti, non videantur curare quidquam magis, quàm ut sibi mutuò elabantur, seu tricas evitent, quas invicem argutissimè struunt. Ex quo etiam vana sophismata, insidiosa certamina, & confertissima nugis Logomachia. Ob id qui verè sapiunt, Neotericos non rarò audies in risum effundi cum Luciano, accendi cum Themistio in bilem, cùm Dionysio conviciari, cum Empyrico arguere, cum Alexandrino in 8. strom. excandescere, ut acutos nimiùm Doctores à tanta quęstionum vanitate removeant. Sed eo morbo videntur aliqui teneri acriùs, quàm ut possint ad sanam mentem revocari; & libentissimè, ut inquit Horatius ep.8.

Alter rixatur de lana sæpe caprina,
Propugnat nugis armatus.

Quibusdam, ut habet Sen. nat. qu. 7. cap. 16. *mendacium obrepit, quibusdam placet.* Usqueadeo comminiscendi amor, qui ad res nonnunquam frigidas vehementer accenditur, hominum odia emeritus est. Satis ergo erit, si conviciorum hęc tela, quæ innumeros ferè sauciant, ne vos quidem Auditores pupugerint, quos Re-

Reginæ Logicæ atriis jam sisto; non ut ea vanissimis agitentur rumoribus contentionum, sed ut sensa Veritatis æquo animo excipiatis. Dialectica Nostra erit Disputatrix, non tamen rixarum amans: In iis, quæ fiunt merà de voce quæstionibus, manum dabit pluribus, doctioribusquè: De re quoties inquiret, rationem sequetur; non externæ opinioni adherebit: Argutias adhibebit, cùm subjecta materia, non mentis ambitio suaserit: Siquid erit concinnius vero, non dicax reiiciet, sed libens recipiet: Imò quæ sua erunt, si detexerit absurda, omnino abjurabit. Fiet inde, ut Logica nostra non verbosa, non contentiosa, non morosa cùm sit, his etiam, quos jam habeo instituendos, bonę, hoc est Venetę mentis Auditoribus non sit fortasse displicitura.

Sed res jam videtur exigere, ut nostræ hìc revocetur œconomiæ ordo; & quæ sit futura secunda Logicę pars, unico tanquam intuitu exhibeatur. Primò igitur excogitabitur Logica quoad ipsam. Mox in ordine ad objectum. Tertiò quatenus inservit scientiis. Et hoc trinà Concertatione, quam communi voce dicunt *Proemialem*. Hinc ad tres etiam mentis humanæ actus, Apprehensionem,

Ju-

Judicium, atque Discursum gradiemur. Et quia ultima generat scientiam, in ista quoquè immorabimur exquirendo ejus naturam &c. Quoniam verò ea, quæ scimus, externà etiam voce consuevimus ostendere, ultima disputatio erit de Vocibus, in iisque tandem sermocinatio nostra conquiescet.

DE NATURA LOGICÆ

Disputationes.

HAsce Logici antemittunt, proemium ad ea, quę magis attinent ad humani rectitudinem intellectus. Nec immeritò in natura Logicæ disquirenda eorum cura statim solicita est, cùm in omni, aut arte, aut scientia id maximè juvet, scire priùs quid ista sit. Hoc autem etiamsi nobis constare queat ex iis, quę in Summulis prosequebamur, non ideo tamen consuetudo arcenda est eorum, qui hac de re disquirendo, saniùs etiam decernunt. Alibi ergo quadam factà de Logicæ natura suppositione, circa virtutes ejusdem immorabamur; sed hìc

hìc feriùs concludendo agendum eſt. Itaque ſit.

DISPVTATIO
PRIMA

De Logicæ naturâ quoad ipſam.

QUæ Doctores agitant de Logica quoad ipſam, hęc maximè ſunt. Eane ſit unicus quidam habitus, an diſtincta in eum, qui *Docens*; & in eum, qui *Vtens* dicitur. Secundò; vocarine debeat *Ars*, an verò *Scientia*. Tertiò; *Practicane* ſit, an *ſpeculativa*. Quæ omnia ut ſtatuamus, habetur.

DIS-

DISQVISITIO PRIMA

An Logica sit una, & simplex.

PRo intelligentia notetur, à quibusdam consuevisse Logicam secari ęquè in Docentem, atque Vtentem, ut in duos verè habitus invicem distinctos. Logica Docens vocatur ea norma, sive cognitio, aut series documentorum, à qua nobis inexistente condiscimus nunc definire, nunc dividere, nunc ratiocinari, juxtaquòd ipsa, hoc, eoque modo nos agere docet. Vtens verò dicitur, quę utitur hac eàdem normà, seu methodo, & regulà, definiendo, dividendo, atque actu argumentando. Quęritur ergo hìc, num revera hæ duę sint Logicæ invicem distinctæ; an detur una tantùm, quę vocatur Docens; itaut documentorum vsus teneat se penes mentem, & mens dici debeat Logica utens.

CON-

CONCLUSIO

Datur Logica Docens. Vtens verò non eſt habitus de novo acquiſitus, ab eaque diſtinctus.

OStenditur 1. quia ſi Logica Vtens diſtinguitur à Docente tamquam habitus de nouo acquiſitus, certè hic debet acquiri poſt Docentem. At hoc vanum eſt; ergo non diſtinguitur. Majorem non negant. Minor autem convincitur; quia mens noſtra cùm imbuta eſt Logicà Docente, ſtatim exit in actus, nunc definiendi, nunc dividendi, nunc ſermocinandi, juxta normam à Docente habitam. Ergo non eſt neceſſe comminiſci habitum recenter genitum, qui hęc omnia præſtet. Volo vos in hujus rei argumentum. Rogo enim. Annon utimini jam ratiocinio veſtro, & quidem ex arte concinnato? Annon argumenta in hac, eaque figura ex arbitrio elaboratis? Annon noſtis detegere ſophiſmata, verſutaſque arguentium tricas? Ita omnino, & ſanè non adversà Minervà. Verùm ad hoſce actus, rogo, dicatis, quænam Lo-

Logica Utens concurrat. Equidem cùm sitis adhuc novitii, nondum acquisiuistis novam. Non enim ista comparata esset, nisi ex diutino exercitio, & reditione actuum. Ergo sine hac nova, quam vocant Utentem, satis, ac ritè agitis. Et sic vanum est comminisci habitum à Docente distinctum, virtute cujus id fiat.

Ostenditur 2. & hoc est assertionis nostræ fundamentum. Quia data in nobis Logica Docente, totum & definiendi, & dividendi, & arguendi munus incumbit menti nostræ tantùm. Hęc enim est, quæ imbuta rudimentis à Docente habitis, ingenio suo, & naturà exit in actus, pro quorum effectione dirigebatur. Ergo dicitur gratis interuenire hîc nouum Utentis habitum, qui ea omnia peragat. Sicut igitur ut quis exeat in actum videndi, satis omnino est, si radio juvetur, eique ostendatur objectum: ita sufficit humanæ menti à Docente Logica irradiari, ut se in discursum ex arte mittat.

Ostenditur 3. & roboratur antecedens ratio. Mens enim humana, de se, ac natura sua non tantùm discursiva est, sed etiam hoc agit ex arte, quamuis rudi, & vitiis obnoxia; unde non raró in errores offendit. Veritas

tas hęc non obscura manet usque in rusticis, qui se versutos, & sagaces in ratiocinio sæpe numero exhibent. Ergo satis est, si Logica Docens juvet hanc mentem, ut documentis ritè usa, tandem sano modo ratiocinetur. Igitur ad hanc rem admittendus non erit novus quidam habitus, qui sit Utens, & à Docente distinctus.

Ostenditur 4. Cur enim vis, dari nouum hunc habitum, qui sit utens, & à Docente distinguatur? Inquis, ad majorem discurrendi facilitatem. Sed hæc ipsa manet in nobis, quotiescumque ars tenetur, & materia, circa quam ratiocinamur, obscura non est. Ut quid ergo pro hac re comminisceris habitum? Mens nostra morem gerit oculo. Tu objectum exhibe: sese is adaperiat; & quò magis hæc duo fient, eò magis ibitur in visionem. Addo. Tua hæc facilitas ratiocinandi oritur ex anteriori, aç diuturno usu ratiocinij, an non? Dicis oriri ex usu, qui antecedit. Ergo, mi bone, jam vides, habere nos usum discursus ante habitum. Igitur Logica utens non erit nisi mens, quę traditis à Docente axiomatibus, canonibusque ad ratiocinij effectionem utitur. Quid in re tam tenui etiam contendis?

K Obii-

Obiicitur 1. Logica utens disiungi omnino potest à Docente: igitur hę sunt duæ, invicem distinguendæ in nobis. Convincitur antecedens; quia si amittat quis usum argumentandi, & habitum in ea re acquisitum, adhuc tamen retinebit Docentem; ergo ista seiungi ab ea potest. Verùm sejunctio signum est distinctionis. Igitur &c.

Distinguo. Utens potest sejungi à Docente, *habitu*, negatur; *actu*, *& exercitio*, conceditur. Ad instantiam dico, cessante usu argumentandi, non amitti habitum à Docente distinctum; sed tantummodo exercitium mentis. Et quia hoc amisso, non tam expeditè ratiocinamur, videtur amitti habitus, cùm revera usus tantùm amittatur. Nota hìc argumentum. Fac ut quis diutissimè abstineat à ratiocinio; nonne majorem sentiet arduitatem, quoties iterum sermocinabitur? Ita est. Ergo acquisivit habitum ratiocinii contrarium. Ergo habitus generatur ex non actibus; quod tu etiam negas. Ergo sicut isthæc arduitas non est habitus verè acquisitus, ita nec facilitas.

Obiicitur 2. Revera mens nostra ex usu sermocinandi acquirit, ut sit expeditior in sermonem, sicuti constat in ijs, qui sese arguendo exhibent

bent acerrimos. Ergo datur habitus, recenter in hac re acquisitus, & hic est Logica Utens.

Negatur consequentia. Hæc enim virtus tam acriter sermocinandi, non est nisi mera mens nostra, quæ à Docente adjuuta sese ita exercet. Ad instantiam dico, mentem humanam sine habitu recenter acquisito reddi magis idoneam, ut ratiociniis utatur, ex frequentiori exhibitione documentorum, & notitià rerum; quæ notitia cùm diminuatur, si ab exercitio diu abstineamus, etiam in causa est, ut ægriùs ratiocinia tractemus.

Obiicitur 3. Musicus v.g. ex usu cantandi; eques ex usu equitandi; certator ex usu certandi, acquirunt habitum, qui à musica, equestria, certatoria docente omnino distinguuntur. Ergo & Logicus à frequenti more discurrendi comparat habitum, à sua Docente distinctum.

Nego antecedens. Nam qui musicam, qui certatoriam, qui exercet equestriam, removet obices tantùm, quibus rem tam bene agere non quibat. Musicus quidem corroborat, extenditque organum; eques abiicit à se duritiem, artuumque torporem; certator agitat, & quasi enodat lacertos. Quæ omnia, ut vides, con-

sistunt magis in negativo, seu remotione obicis, quàm in accessu novæ virtutis. Alioquin cùm & rota post diutinum motum citiùs agatur, dicenda erit acquisivisse habitum.

Dico etiam sic. Dato, & non concesso acquiri de novo hanc virtutem, non urget necessitas, ut hoc in re nostra concedatur. Probo. Nam homo non est natura factus ad musicam, ad equestriam, ad certatoriam. Idcirco ut ad exercitia idoneus fiat, debet agere virtute acquisità, sive habitu, vi cujus ita constituatur. At verò mens humana sic nata est naturà suà, ut sit discursiva, & hoc etiam non sine arte, sicut jam innuebamus. Quamobrem ad bonitatem ratiocinij satis erit, si à Logica Docente norma ei exhibeatur, qua & apprehendat, & judicet, & ritè sermocinetur. Hac enim tamquam face irradiata, & subducto quovis Utentis habitu, egregiùs exit ad actiones.

Obiicitur 4. Da, utentem non esse habitum de novo acquisitum, & à Docente omnino distinctum. Hoc si verum est, unusquisque instructus Docente conficeret sine labore ratiocinium. Sed ita non contingit. Constat enim, quàm arduè, quàm hesitanter, quàm ægrè in argumen-

ta-

tationibus agatur, etiamsi habeamus Docentem. Ergo necessaria est Utens, quæ hanc subtrahat difficultatem.

Distinguo majorem. Unusquisque instructus Docente ratiocinaretur, datà cognitione materiæ circa quam, concedo; secus, nego. Ad minorem. Non nego tyrones etiam Docente imbutos ęgrè in sermonibus gradi: at hoc non ex eo fit, quòd egeant Utente, tamquam habitu distincto; sed quia res ignorant, circa quas contingunt argumentationes. Quocirca si etiam adsit quis documentorum scientissimus, nec tamen v. g. terminos Geometriæ teneat, quomodo in rem geometricam disputabit? Si nesciat de meteoris, qua ratione argumentabitur in meteoras? Igitur non ex eo ardua est sermocinatio tyronibus, quia carent arte Utente, tamquam habitu; sed quia ignorant materiam, circa quam fit ratiocinium. Removeatur hic obex, aut hæc ignoratio, sequitur discursus, & revera expeditissimus. Hoc verò unde rogo? Dicebas: quia juvamur Utente tamquam habitu recèns acquisito. Ita est? ergo dicas, & acquiri habitum gradiendi, eò quia graditur quis, cùm catenam abjecit.

DISQVISITIO SECUNDA.

An Logica sit Scientia.

PRo intelligentia hìc statim moneo, Logicam vocari nunc Demonstrativam, nunc Topicam, nunc Sophisticam, ut jam innuebamus. Demonstrativa est, quatenus versatur circa Demonstrationem, quæ majorem, ac minorem gerit necessarias, evidentesquè, itaut generent scientiam. Topica verò, cùm agit de argumento circa materiam verisimilem; & hæc generat opinionem. Sophistica demum, quotiescumque circa sophismata exercet se, ostendens qua ratione, aut arte à nobis evitari queant. Verumtamen omnes hæ una sunt, eademque Logica, etiamsi varià denominatione, juxta materiam, cui addicitur, insignita.

Præterea notetur quid sit scientia ex Arist. 1. Poster. cap. 2. ubi eam sic definit. *Scientia est cognitio, certa, & evidens rei per causam, itavt non contingat hnbere se aliter*. Duo hìc sunt, quæ ad scientiæ rationem omnino exiguntur. Primum est, ut sit cognitio certa, & evidens rei per

cau-

causam. Quamobrem si cognoverit quis, hominem v. g. sentire, quia sic dictum ei fuerit, is revera non habet scientiam, sed magis credentiam. Sin verò dicat sentire, quia novit esse animal, tunc revera scit, eò quòd rem cognoscit ex causa. Secundum est, ut res, circa quam versatur scientia, non contingat se habere aliter. Debet enim cognosci sub ea necessitate quam habet, ut quoties est, sit etiam ejus naturę, aut essentiæ, à qua in diversum contingere nequeat: secus non haberetur scientia, sed tantùm nescioquę timida existimatio. Ex hoc Arist. 6. eth. cap. 3. meritò edixit, *objectum scientiæ* necessarium esse, ac æternum. Id autem non in duratione, aut existentia: datur enim scientia de auro, astro, terra, & hujusce generis, quæ necessaria non sunt, nec habent æternitatem. Vocatur ergo æternum naturà, & essentià; hoc est in ea necessitate, quam habet, ut quoties est, nequeat esse diversum ab eo, quod iam est.

Notetur 3. ad veram, exactamque rationem scientię id omnino requiri, ut ejus obiectum non sit, aut sumat esse ab ea: nam hoc ita debet supponi, ut merè attingatur, sciatur, cognoscatur. Quamobrem si cogni-

tio ad obiecti effectionem quoquo modo attineat, jam cessat à vera, & rigorosa ratione scientię, cujus natura est scire dumtaxat per causam, & sese consecuctioni rerum immiscere nunquam. Hinc Aristot. in 6. Ethic. docet, cognitionem esse practicam, si quis eà utatur ad actum; cujusmodi est v. g. cognitio bovis, qua bos movetur ad cibi esum. Et ideo in Metaph. 1. cap. 2. negat, hasce cognitiones esse finem, quia sunt in gratiam actionis; non minùs ac servus, inquit, in gratiam sui domini est.

Hisce cognitis, notetur.

***

CON

CONCLUSIO

Logica, utcumque dicatur, Demonstrativa, Topica, Sophiftica, in rigore fcientia non eft.

COnvincitur auctoritate, quam infinuat Ariftot. 1. Metaph. cap. 5. Ait enim, *abfurdum effe unà quærere modum fciendi, & fcientiam*: fed Logica eft modus, aut inftrumentum fciendi; ergo fcientia in rigore non eft. Manet igitur, quòd merè inferviat fcientiis, condendo argumentorum figuras, quarum ufu circa omnia earum objecta ratiocinemur. Roboratur ex eodem Arift. 1. Rhet. 4. ubi ait: *Siquis Rhetoricam, & Dialecticam ut fcientias inftruere, ac docere conatur, is naturam earum interimere videtur*. Ergo habes, Logicam effe magis conftituendam in ferie artium (ficuti & Rhetorica revera eft ars) non ita fcientiarum.

Convincitur 2. ratione, quia Logicæ natura in hoc tota verfatur, ut nos edoceat conftruere, nunc Definitiones, nunc Divifiones, nunc Argumentationes: & id quotiefcunque

assecuta est , suum omnino finem obtinuit, in quo demum hæreat . Non enim curat nisi hoc , quòd mens nostra iis juvetur instrumentis', quorum usu ad rectum se ferat ratiocinium ; & hęc instrumenta condit ipsa, cùm tradit canones, artemque concinnandi terminos ; hinc enunciationes ; dein etiam syllogismus , ut jam scitis .

Convincitur 3. evertendo argumentum , cui tota nititur aduersariorum sententia . Nam qui Logicam nobis commendant ,ut scientiam , ex eo commendant , quia est cognitio certa , & evidens rei per causam : imò etiam quia gerit objectum , æquè necessarium , ac æternum (quæ duo satis esse ajunt in natura scientiæ constituenda) Verùm hęc ratio non couvincit : ergo Logicam dicunt immeritò esse scientiam. Minor constabit ex responsione ad argumentum.

Obiicies 1. Convenit Logicę tota , & integra definitio scientiæ ; igitur à serie scientiarum arcenda non est . Antecedens constat , quia scientia dicitur esse cognitio certa , & evidens rei per causam . Hoc totum habet Logica : ergo &c. Minor ostenditur . Ea enim est, quę cognoscit v.g. ratiocinationem in Barbara convincere , quia majorem habet , minorem-

remque ritè digestas ; Discursum esse sophisticum , quia utitur termino equivoco ; Divisionem se ritè habere , quia gerit membra non contenta invicem &c. Ergo isthæ cognitiones certę sunt, ac evidentes per causam; & ideo quę iis utitur , scientia omnino censenda est. Roboratur ex eo , quia Logica non tantùm edocet ritum bonę argumentationis &c. sed quoquè affert rationem , cur ea omnia ita , & ita construenda sint; imò si à quoppiam hæ veritates negentur, demonstrat in conversum , remque omnino convincit . At quęcumque facultas ita se gerens, est vera scientia : Igitur &c.

Distinguo antecedens . Convenit Logicę tota definitio scientię, si hęc strictim , & in rigore sumatur , nego; si ut etiam convenit arti , concedo ; & nego consequentiam . Ratio est , quia scientia in rigore , ac strictim considerata non in eo merè statuitur , ut sit cognitio , certa , & evidens rei per causam . Hoc enim convenit etiam artibus , quæ si omnino teneantur , satis norunt reddere causam suę actionis . Idcirco si etiam rogetur cerdo , cur v.g. subsuat calceo corium durius , feret statim eam rationem , ut resistat magis , nevè tam citò teratur . Non ergo satis est ad scientiam,

si ea sciat reddere causam rei ; sed multò magis requiritur , ne ad rei quoquè actionem naturà suà ordinetur. Quamobrem utut Logica reddat causam , cur v. g. ita diuidat , arguat , definiat &c. non ex hoc scientia in rigore dicenda erit : nam adhuc maxima eius intentio est , conari ad opus , intuitu cuius quidquid habet , sive canonum , sive documentorum , omnino habet.

Ad confirmationem distinguitur minor. Est scientia strictim considerata , nego : est scientia , quatenus hoc nomen conuenit etiam arti , concedo . Ars ergo quæcumque sit (dummodo eam caleamus) non est inscia , sive ignorans rerum ; sed imò facit cum recta ratione , omnino reddens causam , cur sic , & sic agat . Hinc Arist. 1. Metaph. 1. aiebat , *Artem tenentes cognoscere propter quid , seu causam rei ; secus ac eos , qui nituntur experientià : sciunt enim experti quid quod est ; ob quid autem , nesciunt*. In eo igitur , quòd res certò , & euidenter cognoscitur ex causa , non consistit natura scientiæ (nam æquè benè cognoscit & ars) ideoquè nouà egemus differentià , vi cuius utraque ab inuicem discriminetur . Erit itaque scientia in rigore , ac strictim , quæ in unà ver-

sa-

ſatur ſui obiecti cognitione, ibique tota quieſcit, nec ſibi ex ea rem ſtatuit faciendam. Ars è contra eſt, quæ omnem ſui conatum eò dirigit, ut non ſit cognitione contenta, ſed cùm cognoverit, rem ritè, ac ſcitè moliatur etiam.

Obijcies 2. Nonnunquam Logica conſiderat obiectum, ut in mera eius cognitione quieſcat, non ut quidquam faciat. Ergo ſtrictim, & in rigore ſcientia eſt. Antecedens conſtat, quia ſæpe numero cogitat diviſionem, argumentationem &c. non ut eas conſtruat, ſed ut merè attingat bonitates earum. At hoc eſt quieſcere in mera cognitione obiecti, & non conari ad rei ſtructionem. Ergo &c.

Negatur antecedens. Et ratio eſt, quia totus Logicæ finis in eo ſtatuitur, ut inſtruat mentem ad ratiocinium, argumentationem, diſcurſum, cujus rei cauſa conſtituit axiomata, canones, documenta: & hoc tam bene, ut ſi non eſſet ita conſecutura, nec ſui nomen retineret. Sic v. g. muraria intendit erectionem domus; equeſtria regimen equorum; & gymnica certantis pugnam. Non itaque Logica moratur nonnunquam in mera ſui obiecti cognitione; ſed fortè hoc agit qui eà imbutus eſt.

Ita

Ita etiam non est muraria, quæ domum merè consideret; non equestria, non gymnica, quæ obiecta sua tantùm cognoscant: sed hoc agit murarius, hoc eques, hoc gymnicus &c. Mox distinguo antecedens. Logica nonnunquam hæret in mera cognitione sui obiecti, ex accidente, transeat; ex intentione, hoc negatur. Maxima enim intentio ejus est, ut sequatur opus, ad cuius effectionem tota desudat. Iterum distinguo. Nonnunquam versatur in mera rei cognitione, ut in obiecto primario, nego; ut in secundario, transeat. Quamvis enim Logica rem suam consideret, non in hoc maximum sui finem habet, sed ejus quoquè structuram amat, & consequi vult. Muraria etiam excogitat fabricam, ejusque ideam, sive iconem. Quid tu tamen? an tunc eam credis quiescere, ut in primario sui obiecto? Miserum te, si hoc: Tanquam sarmata nec haberes domum.

Obiicies 3. A Logica cæteræ dicuntur scientiæ; igitur & ipsa multò magis est scientia. Distinguo antecedens. A Logica intrinsecus denominante, hoc nego; extrinsecus dirigente, transeat; & negatur consequentia. Duo sunt genera formarum. Quędam constituunt rem intrinsecùs,

&

& denominant; ut v. g. rubor, qui constituit, ac denominat rubrum; amaror, amarum &c. Igitur hæ formæ omnino in se habent rationem, quam subiectis communicant. Sic rubor tenet intrinsecùs esse rubedinis, & amaror esse amaroris; alioquin non constituerent intrinsecùs nec rubrum, nec amarum. Quędam verò datur forma, quę tantùm constituit rem extrinsecè, ac denominat. Est hujusmodi Logica, vi cujus cœteræ quidem sunt scientię, non quia eas constituat intrinsecùs, aut denominet; verùm ex eo tantùm, quòd inservit ut norma extrinseca, quam intuentes, nunc Physica, nunc Mathematica, nunc Astronomica, ritè, ac scitè suas efficiunt demonstrationes. Non ergo Logicam quis dixerit scientiam, quia hęc sit causa extrinseca, ut cœteræ sint scientię, ac scienter incedant. Rursus distinguo antecedens. A Logica cœteræ scientię sunt scientię, si sumantur inadęquatè, hoc est ratione discursus, verum est; si sumantur adęquatè, nimirum & ratione objecti, negatur. Nam scientię habent sanè à Logica ut scienter discurrant: Sed hoc non satis est ad veram, rigorosamque scientiam. Debet enim hęc suę dignitatis conscia tantùm scire circa ob-

objectum, non se ingerere ad ejuesfectionem. Secus & cerdonica egregia scientia est.

DISQUISITIO TERTIA.

Vtrùm Logica sit Ars.

PRo intelligentia notandum est, artem sumi nonnunquam strictò modo, seu pro ea mechanica, quæ in rudi, ac signata materia dum agit, rem quampiam exteriùs molitur. Dein sumitur etiam strictiori modo, sive ut virtus in mente Artificis acquisita, ubi dictat rationem, qua insistendo movetur quis ad ritè operandum.

Sciendum 2. unum, eundemque habitum diverso nomine gaudere, prout in diversa etiam munera descendit. Sic omnino idem habitus quandiù se continet in re cognoscenda ex causis, vocari potest scientia, tametsi non rigorosa: dum verò constituit regulas, ut earum ductu quidquam fiat, sub hac nova ratione dici etiam ars.

Tertiò sciendum est, quid sit Ars ex Arist. in 6. Eth. cap. 4. ubi eam sic definit. *Ars est habitus cum recta ratione factiuus*. Hìc verò describitur ars in

in communi, non distinguendo activam à factiva, nec liberalem à merè mechanica. Duo sunt omnino consideranda. Unum est, artem dici habitum rei factiuum, quia cum potentia, in qua residet, exhibet concursum ad ejus constructionem. V.g. Rhetorica vocatur ars, eò quod cum rhetore influit ad orationem; Poetica quoquè as, quia tendit in versuum texturas &c. Ex quo etiam habes mentem Arist. cùm dicit, *artem esse de objecto mutationi subjecto*; non tantùm quia variari potest; sed etiam quia fit, exhibente arte concursum; & è contra, si non exhibeat.

Secundum est, artem uti *rectà ratione*; nimirum non agere casu, & fortuitò, sed nixam aut documento, aut cognitione, aut experientià: ob quæ omnia tam bene scit se ritè agere, ut nonnunquam teneat, reddatque rationem suæ actionis. Annuit Arist. 1. Metaph. ubi ait: *Siquis teneat artem, scire causam, & ob quid. Secus verò eos, qui nituntur experientià, scire quod est, sed ignorare causam*. Quocirca non hi sunt artifices veri, ac rigorosi; sed magis eorum servi, & addicti famulitio.

CON-

CONCLUSIO

Logica, utcumque dicatur, Demonstrativa, Topica, Sophistica, in toto rigore ars est.

SUadetur auctoritate; nam hoc tenet Arist. 1. Rhet. 4. & innumeri cum eo, tam veteres, quàm recentes. Dein convincitur etiam ratione; siquidem ea vocanda est ars, cui tota congruit definitio artis: Logica est hujusmodi; ergo &c. Major conceditur. Minorem verò sic ostendo. Logica revera est habitus cum recta ratione factiuus. Igitur ei convenit definitio artis.

Antecedens constat quoad primum. Logica enim tota versatur in eo, ut boni ostendat ratiocinii methodum; mox & ipsa utatur eodem, quoties cum ratiocinante actu definit, dividit, ratiocinatur. Ergo Logica est habitus verè factiuus.

Constat etiam quoad secundum; quia hæc dum agit, procul dubio cum recta ratione agit. Nam v. g. condit argumenta, divisiones &c. juxta normam à se Docente ostensam.

am. Non minùs v.g. quàm Sonator artificiosè tangit organum eà omnino methodo, quæ ſtatuitur à Sonatoria in ejus mente; aut pictor facit imaginem, ſicut ei exhibetur in idea. Hoc autem quid rogo eſt, niſi agere cum ratione, ſcita, & recta?

Roboratur; quia Logica tam bene tenet cauſam, cur ita in definitione, ita in diviſione, ita in argumentatione agat, ut eam noverit reddere; imò ſi negetur, etiam perſuadere negantibus. Et quidem ut ante diximus, non tantùm ea definit; verùm & rationem dicit, cur in hac re aſſumendum ſit genus immediatum, & extrema differentia. Non tantùm dividit; quin etiam oſtendit cauſam, cur diviſo æquanda ſit diviſio. Non tantùm ratiocinatur; at quoquè ſcit, cur medius terminus diſtribui, cur majus extremum nunc ſubiici, nunc prædicari debeat &c. Ergo cùm Logica ſit oſtenſa ut habitus, & quidem rectà ratione factiuus, manet etiam, quòd in rigore ſit ars.

Obiicies 1. ex Ariſt. 12. Metaph. c. 3. Ars rigoroſa eſt, quæ agit extra, ſive in externa materia: ſed Logica verſatur intra (dirigit enim internas animæ actiones) ergo non eſt ars.

Diſtinguo. Ars operatur extra, ſive in externa materia; ſi factiua ſit,

&

& mechanica, concedo; si è contra, nego antecedens. Constat enim de Oratoria, Poetica, & hujusmodi, sermones efficere suos ad intra, sive in mente, ubi acquisitæ sunt instar habituum.

Dico 2. Logicam agere quodammodo extra, sive in extrinseco; quatenus externum sermonem ipsa etiam dirigit, eumque intuetur ut objectum, tametsi secundarium. Consulatur Arist. 1. Eth. 1.

Obiicies 2 Ars versatur circa singularia. Quidquid enim facit, hoc individuum est, atque signatum. Sed Logica intuetur communia; ergo non est ars. Minor ostenditur, quia dictat in communi v. g. syllogismum ita esse construendum; ita definitionem, & ita de cœteris.

Distinguo Minorem. Logica ut Docens intuetur communia, concedo; quatenus est utens (nimirum quatenus eà quis utitur) nego. Quia ergo ut Docens, norma est omnium nostrę mentis actionum à se dirigendarum, intuetur universalia: ut verò utens, quia tunc descendit in hunc, eumque actum, qui est signatus, & individuus, intuetur ea, quæ individua, & signata sunt; ideoque sub ratione utentis naturam retinet artis. Eo v. g. modo, quo Rhetorica ut docens excogitat Univer-

ver-

versalia, tradendo in communi methodum rei, quæ agenda est. Eadem verò sub ratione utentis considerat signata, & individua (non enim fit oratio, quæ non sit hæc signata oratio.) Et id tam est commune cuique arti, ut simus inedià morituri, si non agat sic & Pistoria.

Obiicies 3. Ars debet esse circa objectum contingens, quod nimirum possit condi à nobis, & non condi ex arbitrio. Verùm Logica non est ad contingentia; ergo &c. Ostenditur minor, quia tendit in rem suam sub ea necessitate, quam habet, ut uno, eodem, ac æterno modo fiat. V.g. intuetur definitionem, necessariò construendam ex genere immediato; syllogismum ut necessariò constantem tribus terminis &c. ergo si objectum gerit necessarium, non est ars.

Distinguo. Ars debet esse circa objectum contingens existentià, concedo; contingens essentià, nego. Logica verò quatenus est utens, tendit in existentiam objecti; & quia hæc fit ex arbitrio, idcirco Logica sub ratione utentis gerit objectum contingens, & in toto rigore ars est. Quamobrem etiamsi definitio, divisio, argumentatio, certo quodam ritu continuò sint, eorumque natura non mutetur in essentia; in existentia tamen variari.

riari.

riari possunt, quia modò existunt ex arbitriò nostro, modò non ita: Et hoc ad rationem artis omnino sat est. Secus nec Domifica v.g. erit ars, quia intuetur domum sub ea necessitate, ut civem te, imò dominum tegere, ac tueri queat.

Obiicies 4. Logica reddit rationem sui operis, quia ut dictum est, cognoscit rem ex causa. Ergo scit, & consequenter est scientia: non igitur ars.

Nego. Nec enim arti (modò à nobis ritè habeatur) contradicit *Scire*, aut reddere rationem. Revera enim *tenentes artem sciunt*, ut dixerat Arist. 1. Metaph. 1. *secus ac ij, qui nituntur experientià*; nam hi sunt rudes ministri, verè ignorantes, cur ita rem agant, nisi quòd à sciis, dominisque Artificibus jubentur. Quocirca si roges conditorem v.g. sphęræ, cur transuersim agat Zodiacum, cur horizontem ex æquo secantem, cur quinque Zonas &c. dummodo sciat, non ægrè dabit rationem. At verò si famulos, dicent: aut quia sic Dominus jubet, aut quia iconem ita extructam vident. Causam verò nec hi sciunt, nec reddent unquam, sphærà suà obtusiones.

DIS-

DISQVISITIO QVARTA

Vtrùm Logica ſpeculativa ſit, an practica.

PRo intelligentia ſciendum hìc eſt, quid ſit habitus in rigore, ac ſtrictim meditatiuus ex Ariſt. qui eum 2. metaph. c. 1. deſcribit, *Cujus finis eſt veritas*; & qui etiam verſatur circa ea, *quæ diuerſim* ſe habere *nequeunt*. Practicus verò habitus vocatur ab eodem, *cujus finis eſt opus:* & etiam qui ad rei factionem, *præter ſcire, ordinatur.*

Duo in hac re conſideranda ſunt. Primum, quòd habitus verè, ac ſtrictim meditatiuus non intuetur ex natura ſua rei effectionem, ſed ejus tantummodo veritatem; & in hoc ſenſu dicitur verſari circa objecta, quæ ſe diverſim habere non poſſunt. Sic v. g. & Phyſica, & Aſtronomica, & Metaphyſica dicuntur eſſe habitus meditativi, eò quia non tendunt in rei ſtructuram, ſed merè in ejus cognitionem, & hanc ſi conſecutæ fuerint, omnino quieſcunt. Secundum eſt, ad rationem practici etiam requiri, vt habitâ

bità cognitione, fiat quoquè res. Non enim sat erit cognoscere objectum, ejusque causam, si eò non tendat cognitio, ut ex illa sequatur opus.

Debet notari 2. quosdam esse habitus, qui suos edunt actus, nunc meditativos, nunc practicos, & nunc ex utroque mixtos. Ita v. g. Geometria modò excogitat figuras, hæretque in hac mera cognitione; modò eas construit, & modò utrumque facit. Quid ergo? Geometriam vocabis ne practicam, an meditativam? Nota, denominationem rei sumi ab eo fine, qui major est, magisque intenditur. At Geometria studet magis rem scire, quàm operari, & ideo vocatur scientia in totò rigore meditativa. Quamvis enim suo modo agat nonnumquam in subjecto, directivè nimirum ad figurarum structuras, hoc est studium potiùs geometræ, quàm geometrię intentio. Contra verò Sonatoria, equestria, & hujusmodi habent sanè actus nonnunquam cognoscitivos, aut meditativos circa veritates objectorum: quia tamen maxima earum intentio est, conari ad rem, sive ad rei factionem, ex hoc manet, esse in rigore practicas.

CON-

CONCLUSIO

Logica omnino practica est.

OStenditur I. auctoritate Arist. D. Thomæ, ac Boetii, quorum testimonia reticeo, quia nimia sunt. Mox etiam argumento. Ea dicitur virtus in rigore practica, cui tota convenit ratio agendi: At Logica est hujusmodi; ergo &c. Probo minorem. Nam ea omnino est, quæ tradit normam, ut bona construatur enunciatio, bona divisio, bona ratiocinatio, à qua re si removeatur, tota ejus natura interimitur. Quid enim, si non agat hæc, actura est Logica? Hinc ajebat Arist. *mentem nostram extensione fieri practicam*. Non enim continuò in una hæret cognitione veritatis, neque ita res intuetur, ut circa eas meditativa tantùm sit. Extenditur etiam, excogitatque ut faciendas; & ideo practica vocanda est.

Roboratur argumentum. Rogo enim, quid sit Logica, nisi ea documentorum series, qua mens humana utitur ad exercitia suorum actuum?

At si hoc est, consequitur, totam esse in dirigendo actiones, ut ritè fiant. Dicis, eam non raró meditari tantùm. Distinguo: itaut hæc sit maxima ejus intentio, negatur. Imò meditari est omnino in rei extruendę gratiam. Addo: quoties mera contingit meditatio erga bonitatem, aut rei veritatem, cogitationes istæ quanquam non videantur esse actu documenta, ut res logica fiat; virtute tamen sunt, quia concessum est iis uti, seu ad confectionem, sive ad rei correctionem, siqui errores in ea detegantur. Quinimo subsequens hæc meditatio (si res bene consideretur) tota ut ait Arist.6.Eth. c.4. desudat in hunc finem.

Ostenditur 2. ex Arist. cap. 16. qui docuit artem esse *habitum* revera *factiuum*, hoc est ejus naturæ, ut omnino intendat operis constructionem. Quòd verò inveniat extructum, aut excogitet extruendum, & in eo moretur considerando, totum hoc ex accidenti est, nec tamen ars desinit esse in rigore practica. Non desunt argumenta, quæ id convincant. Rogo enim: Sutoria consideratne caligam, à se consutam, aut consuendam? ita est, inquis. Ferraria consideratne thoracem, à se cussum, aut cudendum? non negas. Pictoria considerатne

ratne iconem à ſe concinnatam, aut concinnandam? Aſſeris omnino. Attamen omnes iſtæ in rigore dicunt praxim, quia etiamſi meditentur objecta ſua, finis tamen major eſt, ut ea fiant, ex quo ſumitur practici denominatio.

Objicies 1. Logica intuetur objectum, quod eſt neceſſarium: ſed virtus practica gerit objectum contingens; ergo &c. Major eſt certa. Conſiderat enim acta ſua, quatenus habent neceſſitatem, ut ſint uno, certoque modo, à quo mutari non queunt V.g. diſcurſum, neceſſariò conſtantem majori, minori, & conſequentià; enunciationem, neceſſariò habentem æquè ſubjectum, ac prædicatum &c.

Diſtinguo. Logica intuetur objectum, quod eſt neceſſarium eſſentià, concedo; exiſtentià, nego. Ita & minorem. Virtus practica gerit objectum contingens, quoad exiſtentiam, conceditur; quoad eſſentiam, negatur. Drama enim v.g. duo habet: conſtructionem ſui, & hæc omnino contingens eſt, quia manet in vatis arbitrio. Habet quoquè modum, quo ſtrui debet, nimirum ut gerat commentum, carminumque dimenſionem; & hoc neceſſarium eſt: ſecus enim nec eſſet drama. Quemad-

modum ergo Vatem nemo dixerit non practicum, etiamsi gerat objectum in essentia necessarium; ita Logicum &c. Hoc si negas, verè tu Vates, & commentitius es.

Obiicies 2. Logica nonnunquam considerat objectum, ut ejusdem sciat bonitatem, aut veritatem, non curans de constructione; igitur non omnino, aut continuò practica est.

Nego consequentiam. Etsi enim non semel consideret meram objecti sui veritatem, ut v. g. ratiocinium ritè constructum &c. hoc tamen facit secundariò, quia primaria ejus intentio est, ut res condatur. Faber etiam, inquit Arist. 1. Eth. 7. considerat v. g. triangulum; sed quia magis intendit ut fiat, ideo vocatur practicus. Non sic Geometra, qui hoc idem excogitat, ut meram ejus veritatem attingat.

Obiicies 3. Cognitionis practicæ objectum est in nostro arbitrio: sed objectum Logicæ non ita se hbbet; ergo &c. Minor ostenditur. Nam argumentum v. g. in Barbara non pendet à nobis, ut hoc, eouè modo fiat. Urgetur. Concessa majori, & minori, cogitur mens ad conclusionem. Ergo ista in arbitrio nostro non est.

Di-

Diſtinguo majorem. Non eſt argumentum in arbitrio noſtro ratione modi, tranſeat; ratione ſubſtantiæ, hoc nego. Poteſt enim quis condere argumentum in Barbara, & omittere; quanquam ſi condat, neceſſum ſit condi hoc uno, certo, ſignatoque modo. Satis autem erit ſi condatur, ut conditor ſit, & vocetur practicus. Ad inſtantiam dico, conclusionem eſſe quoquè in arbitrio noſtro mediatè, quamquam immediatè ita non ſit. Sed tu etiam dic. Vento urgente, atque turgido carbaſo, eſtne in arbitrio tuo navigare, an non? Dicis eſſe, quia tibi conceſſum eſt, removere velum, & jacere anchoram, in quo caſu non navigabis. Ita & mei juris erit, removere majorem, ac minorem, ut non ſequatur concluſio. Quid ais? Jam hæres: offendiſti ſcopulum.

DISPVTATIO SECUNDA

De Logica circa sui objectum.

DE Logica circa sui objectum quę agitari consueverunt, hæc maximè sunt. Quidnam statui debeat ut ejus *Materiale*; quidnam verò ut *Formale* obiectum. Quodnam sit *Attributum*, & quodnam *Attributionis*. Quæ ut bene cognoscatis, hæc statim subiicio.

Notetur ergo, Materiale objectum in omni arte vocari, quod ab ea consideratur ut materia rectificanda, cui nimirum virtute artis induci potest sua rectitudo, seu perfectio. V. g. marmor, ebur, aurum, dicuntur objectum statuarię materiale, quia iis forma statuæ induci potest. Objectum verò Formale, aut est obiectum *quod*, aut obiectum *sub quo*. Primum dicitur, quod ex materia, & forma jam inductà consurgit: quemadmodum v. g. est statua iam ex arte confecta. Porrò ea ratio, sub qua mar-

marmor à Statuaria consideratur, nimirum directivitas ad formam, vocatur objectum formale, *sub quo*. Consideratur enim à statuaria mar mor, quatenus idoneum est, ut figuram habeat, cum eàque statua desudetur.

Secundò nota, objectum dici *attributum*, quod sic ab arte consideratur, ut in eo non quiescat ars; quinimò illud attribuat, sive ordinet erga superius. V. g. in Arte horaria, catena, rota, ęs, & hujusmodi sunt obiectum ejus attributum, eò quòd hæc omnia totius Machinæ horariæ constructioni attribuuntur. Contra verò dicitur obiectum *attributionis*, cui cœtera inserviunt, quemadmodum est horologium, pro cujus contextura inferiora omnia, nimirum rota, ęs catena excuduntur. Hisce cognitis, notetur.

DISQUISITIO PRIMA.

Quodnam sit Logicæ Materiale objectum.

PRo intelligentia debet hoc sciri : Artem dici *Factivam*, quæ agit in externa , & signata materia, in qua suum opus tandem habet . Est hujusmodi v. g. Statuaria , eòquod marmor extrinsecum ita tractat , ut in eo relinquat figuram . Rursus adest etiam Ars , quæ vocatur *Activa*; & ista post actionem à semet exercitam non adinvenit quidquam. Non enim agit in materia extrinseca , nec eam ut antecedentem supponit . V. g. canendi ars transacto cantus exercitio, non invenit quod maneat , & ideo vocatur *Activa* . Ejus ergo materia, in quam studet musicam inducere formam , est sonus , & vox , non quæ antecedenter existat (non enim est vox , antequam cantetur) sed sonus , & vox in idea , sive intra causam considerata , nimirum antequam fiat . Insinuatur hæc distinctio ab Arist. 6. Eth. 4.

CON-

CONCLUSIO

Objectum Logicæ materiale trina est actio intellectus, Apprehensio, Iudicium, Discursus, non adhuc directa.

SUadetur, quia cuiusque artis materiale objectum censetur id, cui studet ars insinuare formam, sive rectitudinem: sed in Logica est huiusmodi actio hæc trina intellectus adhuc non directa: ergo ista censeri debet materiale ipsius objectum. Major non dubitatur. Minor verò convincitur. Nam Logica ut visum est idcirco fuit à Doctoribus excogitata, quia mens humana cæcutiens incurrebat errores; unde cùm egeret manu ne caderet, hæc maximè logicalis adinventa est in subsidium. Et hinc abiit correctio in apprehensionem, judicium, atque ratiocinium, virtute canonum, sive documentorum, quæ sibi attento cogitatu mens humana tandem constituit. Ergo trina hęc operatio adhuc non directa est obiectum, in quod Logica tentat inducere bonitatem, sive rectitudinem.

Obiicies. Materiale obiectum cuiusque artis debet existere ante formam, qua evadit in rectum: sed actiones humanæ mentis non sic existunt; ergo &c. Maior ostenditur, quia v.g. marmor in Statuaria, & corium in Sutoria, existunt ante formam statuę, calceiq. cùm sint materia, cui statuarius, ac sutor desudant, ut rectitudinem ex habita iam idea insinuent. Minor etiam convincitur, quia v: g. si sumatur Apprehensio, hæc dum fit, aut recta est, aut non ita. Dicis rectam? ergo iam tenet bonitatem, & sic non anteit, sed imò exoritur cum forma. Dicis non rectam? ergo nequit morari rectitudinem sibi mox affingendam, quia hęc cessat, & statim subit nova. Dicendum igitur, quòd hæc actio non expectat rectitudinem intra se sumendam, & sic non erit materiale obiectum.

Distinguo maiorem. Obiectum cuiusque artis &c debet existere ante formam, si ars activa sit, negatur; si factiva, transeat. Ad minorem. Sed actiones humanæ mentis non existunt ante; si considerentur intra causam, nego; in individuo, & extra, concedo; & negatur consequentia. Datur ergo ars *activa*, quæ non exigit materiam extra causam, & actu existentem, ut ei rectitudinem

af-

affingat: sed intuetur actiones in idea, sive in causa; hoc est eas, antequam sint. Constat hoc v.g. in Sonatoria, cujus obiectum materiale non est sonus, qui actu existat, sed qui erit. Dum verò hic sonus fiet, exibit rectus, quia exibit cum rectitndine, quam ei Sonator excogitavit inducere, antequam esset. In conversum se habet ars Factiua, ut Statuaria, Sutoria &c. quas concedo nonnunquam supponere materiam actu existentem, ut à semet dirigatur. Cùm ergo Logica sit ars *actiua*, considerat actiones, non quæ sunt actu, sed quæ mox erunt, ut suam tunc habeant rectitudinem.

Obiicies iterum. Apprehensio rectificari nequit à Logica. Ergo non est eius obiectum &c. Ostenditur antecedens. Nam si ea sit subita, non est subiecta nostro arbitrio ut fiat. Emanat enim in nobis, iuxta quòd sive imago, sive idea rerum excitatur. Quocirca si ea contingat etiam de re noxia, hoc non vertitur nobis vitio, quia nostri iuris non est. Ergo rectificari non quibit.

Distinguo antecedens. Non quibit, si ea sit naturalis, & prima, transeat; si secunda, & ex arte facienda, negatur. Duo sunt apprehensionum genera. Quædam subitæ, non quæ-

sitæ, casu enatæ juxta quòd imagines, & rerum ideæ moventur. V. g. quia mihi nunc excitatur idea cervi, cogor attingere ceruum, & ista cognitio cùm sit fortuita, recens, & non ex arbitrio, dirigi nequit. Quædam verò sunt, quæ vocantur secundæ, quia fiunt post notiones terminorum à Logica traditas, ut ii termini, eorumque significata ritè attingantur. Et sic quia jam scimus de univoco, æquivoco, categorematico &c. circa hæc omnia bonam facimus apprehensionem. Hanc ergo dirigit Logica, Judicium quoquè, ac Discursum; & ideo trinus hic actus considератur ut materia, cui rectitudinem insinuet.

***

DISQVISITIO SECUNDA.

Quodnam ſit Logicæ Formale objectum quod.

PRo intelligentia revocanda huc ſunt, quæ ante diximus: objeɛtum *quod* in omni arte, non eſſe niſi aggregatum ex materia, & forma, vi ejuſdem artis induɛtà. Rurſus: hoc idem, aut eſſe magis, aut minùs quæſitum; utrumque tamen conſiderari ut faciendum. V. g. in Statuaria manus egregiè inciſa eſt objeɛtum *quod*, minùs certè conſiderandum, ſi cum tota ſtatuæ ſtruɛtura conferatur: Adhuc tamen non contemnendum, quia in eo tantum ſtudij collocat intenſivè artifex, quantum in tota ſtatua extenſivè adhibere conſuevit. Hoc dato, ſit.

CONCLUSIO

Objectum Logicæ formale quod trina est actio humanæ mentis jam directa.

OStenditur, quia huiusmodi obiectum in omni arte dicitur esse, quod totam habet sui rectitudinem, sive formam ab ea: sed trina operatio mentis ut iam directa hoc habet à Logica; ergo &c. Maior ex iis constat, quæ iam adnotastis. Minor etiam convincitur; quia trina humanæ mentis actio nonnisi à Logica rectificatur. Sic Apprehensio ex terminorum traditione, Judicium ex regulis enunciationum, Discursus ex argumentandi methodo reguntur, formamque recipiunt.

Roboratur magis hæc ratio. Nam sicut in Ethica obiectum formale *quod* sunt acta nostri arbitrii, ut iam rectitudine affecta; ita in Logica sunt actiones nostræ mentis ut directę, aut ad rationem veritatis exactæ, itaut in iis eluceat bonitas, & rectitudo, quæ oritur ex observantia documentorum.

Obiicies tamen. Hoc obiectum

in

in omni arte dicitur esse, quod ab ea expetitur ultimò. Sed trina humanę mentis actio non sic se habet. Ergo &c. Maior ostenditur, quia hoc obiectum est aggregatum ex materia, & forma iam inductà: & hoc si assequatur ars, quia suum habuit intentum, quiescit, nec præterea curat quidquam. Minor etiam constat. Nam Logica non moratur in Apprehensione, quantumvis directa, sed hanc ad Judicium ordinat; imò neque in Judicio, quia desiderat ratiocinium. Ergo quærit Discursum ultimò: & ita neque Apprehensio, neque Judicium erunt in Logica obiectum *formale quod*.

Distinguo minorem. Trina mentis actio non desideratur ultimò, ratione suæ rectitudinis, nego; ratione ordinis erga maius obiectum, concedo; & negatur consequentia. Ergo Apprehensio (& sic Judicium) excogitanda est sub ratione actionis directę, sive ut iam rectitudine affecta, in quo sensu iam bona est, recta est, ad normam, & methodum exacta est. Quamobrem in eà sic affectà Logica quiescit, nec habet præterea quid curet. Secundò hæc eadem actio venit etiam consideranda ut ordinabilis ad ratiocinium, cui omnino inservire debet: & sic ratione ordi-

nis

nis non desideratur sanè ultimò; sed tamen in suo genere non minùs habet rectitudinis, quàm ratiocinatio; ideoque manet objectum formale quod, etiamsi subordinatum. Sic rota v. g. in arte horaria sub ratione rectitudinis acquisitæ tam bona dicitur, quàm tota structura horologii; & idcirco in hac arte vocanda est objectum *quod*, tametsi ut pars ordinata sit ad totum. Ex horaria (si me audias) non dissonum erit argumentum.

Distinguitur etiam diverso modo ea minor. Logica non moratur in apprehensione, ac judicio intensivè, hoc nego; extensivè, conceditur. Quamvis enim ordinetur prima mentis actio erga secundam, & hæc quoquè ad tertiam, attamen ratione rectitudinis jam inductæ tam bona est prima, quàm secunda; tam hæc secunda, quàm tertia. Dicitur tamen Logica non quiescere in antecedentibus, quia eas extendit erga tertiam.

DIS-

DISQUISITIO TERTIA.

Quodnam sit obiectum Logicæ attributum.

PRo intelligentia revocanda huc sunt quę jam dicebamus : objectum artis attributum esse id, in quo ea non ultimò quiescit, sed attribuit, ordinatquè ad majus. Ita v. g. tractatus de Gratia, de Merito, de Visione Beatifica, & hujusmodi, vocantur attribuiti, quia omnes ordinantur in Deum, ut in objectum, in quo tandem ea scientia moratur, nec magis extenditur.

Iterum scitote, quòd etiamsi obiectum attributum in suo genere sit æquè perfectum, ac obiectum attributionis, tamen illud consuevit ordinari ut inferius ad superius. Eo modo, quo v. g. Zodiacus etiamsi ratione sui non sit minor cœteris, assumitur tamen ab arte in ordine ad sphæram, cui tanquam pars ad totum subordinatur. Hisce adnotatis, manet.

CONCLUSIO

Obiectum Logicæ attributum est prima, & secunda intellectus actio, sive apprehensio, & judicium.

PRobatur, quia obiectum cuiusque facultatis attributum est, in quo ea tandem non quiescit; sed ipsum dirigit in maius obiectum: At huiusmodi sunt iam dicti à nobis duo mentis nostræ actus, apprehensio, atque iudicium; ergo &c. Maior non eget argumento. Minor etiam satis constat, quia Logica docet bene apprehendere terminos, ut bonum ex iis oriatur iudicium. Docet etiam bene judicare, ut in bonum tendat ratiocinium. Ergo tam apprehensio, quàm iudicium ordinantur aliò, nimirum ad boni ratiocinii consecutionem. Probatur antecedens, quia termini sunt materia enunciationum, & sic diriguntur ad iudicium; enunciationes materia syllogismi, & ita inserviunt pro discursu; ergo sunt obiectum Logicę attributum.

Obiicies primo. In Logica dantur ju-

iudicia, quæ non inserviunt discursui; ergo iudicium non est obiectum Logicæ attributum. Ostenditur antecedens, quia v. g. definitio iudicium est: sed ista consideratur ex se, aut ratione sui, nec dirigitur ad superius (Logica enim docet struere definitionem, & in ea quiescit) Ergo quædam sunt iudicia, quæ non diriguntur in discursum.

Nego antecedens. Ad probationem distinguo minorem. Definitio consideratur ex se, sive ratione sui, nec ordinatur aliò; quatenus definitio, transeat; quatenus propositio, negatur. Itaque definitio non uno modo, neque sub una ratione sumenda est. Primò enim consideratur quatenus est oratio, quæ constat genere, ac differentia; & sic Logca quiescit in ea ut in obiecto suo inadæquato. Secundò assumitur etiam ut propositio est, quæ constat subiecto, & attributo; sub qua ratione cùm debeat inservîre pro syllogismi structura, bene ad istum dirigitur, neque in ea tantùm quiescit Logica. Sic v. g. hominis definitio, si assumatur vt mera enunciatio, inseruit omnino discursui; ut si dicam: *Omnis homo est cognoscitiuus: at Petrus est homo; ergo est cognoscitiuus*.

Objicitur secundò. Conclusio est iu-

iudicium circa rem : at hæc non ordinatur , neque inservit discursui; ergo non omne iudicium est obiectum Logicæ attributum . Maior est certa , & minor probatur ; quia conclusio fit medio disursu , ab eoque nascitur ; ergo non ordinatur ad ipsum ; secus deberet esse antecedenter.

Nego minorem . Ad probationem dico , revera conclusionem ordinari, & inservire discursui efficiendo , quia est pars integrativa ejusdem . Ad hoc autem non est necesse , ut antecedat ; imò nec debet antecedere , secus non esset deducta ex antemissis . Dicitur itaque ordinari , hoc est esse pars in eo integrativa . Quo modo tectum v. g. ordinatur ut pars in exstructione domus ; etiamsi ultimò superaddita hæc sit . Ergo non oritur conclusio à discursu , quinimo integrat ipsum : revera enim discursus non est , si non adsit & conclusio ; sicut nec domus tota est, in qua tu careres tecto , & sub dio habitares . Dico secundò , hanc bene ordinari , & inservire discursui , ut quid etiam antecedens . Etenim si assumatur ut mera enunciatio , ex ea fieri potest, aut major , aut minor in novo syllogismo , & sic antecedere fabricam ipsius.

DIS-

DISQVISITIO QVARTA

Quodnam sit objectum Logicæ attributionis.

PRo intelligentia meminisse debetis, quid sit objectum attributionis. Dicitur enim esse, ad quod postremò dirigitur quidquid ars aliqua tractat; quemadmodum innuimus in horaria, & in scientia etiam Theologica.

Rursus revocandum huc est, quinam sit postremus Logicæ finis. Dicebatur enim esse bona ratiocinatio, ad cujus consecutionem tota desudat. Et ratio quidem est; nam humana mens usque in Adam vitiata egebat instrumento, sive Logicà, ut suam ei reponeret rectitudinem, fieretque in sermonibus recta deductio, seu argumentatio. Id verò statim ac Logica obtinuit, suum adęquatè finem consecuta est; nec præterea quidquam curat, nisi ut rectum habeat sermonem, cuique rei accommodandum. Hoc dato, notetur.

CON-

CONCLUSIO

Logicæ objectum attributionis est syllogismus in communi, ut demonstratiuum, topicum, & sophisticum ratione materiæ comprehendit.

Convincitur, quia obiectum Logicæ attributionis est, erga quod ea dirigit omnia, quæ tractat. Verùm Logica dirigit omnia, quæ tractat in syllogismum &c. Ergo hic est ejus obiectum attributionis. Minor ostenditur. Hæc enim ideo præcipit de terminis, ut eos ordinet in enunciationem; Imò de hac etiam, ut eà ntatur ad fabricam ratiocinii; Ergo quæ Logica tractat, omnia ordinat in syllogismum.

Probatur secundò efficaciùs, quia idem habet obiectum Logica ex arte, quod Logica nobis insita ex natura. Cœterùm hujus obiectum non est nisi discursus in communi acceptus; ergo hic idem est quoquè obiectum artificialis. Major de se constat. Etenim Logica ex arte à doctioribus inventa est pro dirigenda naturali ad ratiocinium, in quo deficiebat; unde illa

illa nequit habere nisi discursum ut obiectum. Confirmatur. Sicut enim qui manum dirigit, aut scribentis, aut sagittantis, habet eundem omnino scopum, quem scribens, aut sagittator; ita &c. Minor etiam evidens est. Nam rationalis naturę obiectum esse non potest, nisi quod oritur à ratione; seu quod efficit ratio; sed ratio non efficit ultimò, nisi discursum, ergo &c. Itaquè cùm artificiosa eundem quoquè discursum verè intueatur, ejus obiectum erit hic idem, ut communis est demonstrativo, topico atque sophistico.

Probatur tertiò, quia obiectum Logicæ attributionis censeri debet quod fit postremò à Logica, ut hoc deinde instrumentum sit cœteris ad procedendum in suis cognitionibus. Eà omnino ratione, qua v.g. frænefıcæ dicitur esse obiectum attributionis frænum, quia ultimò ab ipsa exuditur; & hoc deinde inservit Equestriæ ad regimen equorum. At verò quis inficietur, bonum discursum esse, quem Logica postremò struit, & quo deinde utitur Physica, medicina, mechanica, cœteræquè artes ut instrumento ad suarum notiones veritatum? Syllogismus ergo manet obiectum Logicæ attributionis.

Et quidem, non ut demonstrativus tan-

tantùm est , seu topicus dumtaxat , aut sophisticus ; verùm quatenus in communi assumitur, hoc est sub una, & generica ratione syllogismi considerabus . Ostenditur hęc veritas, quia Logica unam tantummodo curat formam discursus ; non ita materiam , cui hæc affingitur . Et sic quia syllogismus v. g. demonstrativus hoc nomine vocatur ob materiam , quæ subest discursui , Logica non curando materiam , non intuetur demonstrationem , quatenus demonstratio tantùm , sed ut merè syllogismus est. Eo ferè modo , quo statuarius non attendit materiam , cui figuram inducat ; verùm in unius consideratione formæ totus est , eique tantùm se studere profitetur . Quamobrem non interest statuariæ , si pro materia exhibeatur marmor , aurum , ebur &c. Non enim ars hoc magis curat, quàm illud; imò quodcunque assignetur , ei ęquo studio conatur inducere figuram, eamque ut obiectum denique suum excogitat . Logica ergo curat figuram syllogismi , non materiam , cui ea concinnatur . Unde non intuetur demonstrationem, qua demonstratio est , sed ut syllogismum tantummodo , cuicunque materiæ communem.

Obiicitur 1. Denifitio , & divisio sunt

sunt objecta, quæ Logica intuetur per se, in iisque moratur. Ergo non syllogismus tantùm est obiectum attributionis. Hoc enim si esset, in eo unò quiesceret.

Distinguo antecedens. Definitio, & divisio considerantur à Logica ut obiecta inadæquata, conceditur; è contra, negatur. Ratio est, nam etiamsi definitio, ac divisio sint objecta ratione sui etiam expetenda (sunt enim modi, quos vocant sciendi) non idcircò tamen eos considerat Logica ut finem ultimò quærendum, sive adęquatum. Secus admodum raras haberet mens nostra notiones rerum. Rogo enim; quomodo per definitionem, seu divisionem innotesceret, Mercurium v.g. non nitere suo radio? aerem habere gravitatem? cœlum esse mutationi subiectum? motum crescere magis usque ad finem? Quæ nos equidem, ut cętera innumera, bene per discursum consequimur. Imò qua ratione Logica osténderet, bonam esse definitionem, quæ traditur ex genere, ac differentia, nisi curaret discursum, quo uno uti potest ad hujus veritatis consecutionem?

Obiicitur 2. Non quicunque syllogismus est modus, aut instrumentum sciendi; nam topicus gignit in

M cer-

certitudinem, & sophisticus errorem. Ergo syllogismus in communi non est obiectum Logicæ attributionis.

Distinguo antecedens. Gignit sophisticus errorem; topicus incertitudinem, ratione materiæ, concedo; ratione formæ, negatur. Ratio suadet; nam in topico forma, seu coordinatio medii termini cum extremis, hujusmodi est, ut naturà suà bonam emittat conclusionem, gignatque scientiam, atque discursus certitudinem. Quòd autem ea forma sit addicta materiæ incertę, unde oritur opinio, id Logica non curat; sed tota in eo est, ut etiam de materia incerta, bene, certò, atque indubitanter ratiocinetur. Hoc ipsum de syllogismo sophistico. Nam etiamsi quoad materiam gignat errorem, non id facit ratione formę, quia discursus & materiæ incertæ, seu etiam erroneæ accommodatus, bene, ac ritè procedit. Quare si accommodetur hic idem novo subiecto, certo, ac evidenti, non inducet errorem, dummodo sophisma teneat se penes materiam tantùm. Nam si error esset in forma, tunc revera, ut ait Arist. 1. Top. 2. non esset syllogismus.

Obiicitur 3. Tantùm demonstratio

eſt objectum attributionis Logicæ; non ergo ſyllogiſmus in communi aſſumptus. Conſtat antecedens, quia tantùm demonſtratio ſatiat intellectum, generando ſcientiam, in qua tandem quieſcit.

Nego antecedens. Ad argumentum diſtinguo. Tantùm demonſtratio ſatiat intellectum, ratione materiæ, concedo; ratione formæ, hoc nego. Nam intellectus verè ſatiatur à bono diſcurſu, qui tam bene invenitur in demonſtrativo, quàm topico, atque ſophiſtico. Deinde ſatiatur etiam à materia, circa quam fit diſcurſus. Ea enim ſi evidens eſt, gignit quoquè ſcientiam de re ſubiecta. Cœterùm quia Logicæ cura non eſt de materia, manet etiam ut intellectus dicatur perfici à diſcurſu, quatenus diſcurſus eſt, demonſtrativo, topico, atque ſophiſtico verè communis. Hęc ſi arguas, verè tu ſophiſticum agis.

DISPVTATIO
TERTIA
De Logica in ordine ad ſcientias.

QUæ in hac diſputatione conſueverunt diſquirere Logici, duo maximè ſunt. Qua nimirum ratione Logica juvet ſcientias; utrm effectivè ad earum actus concurrat, an directivè tantùm. Secundò; ſitne omnino ad omnem ſcientiæ acquiſitionem neceſſaria.

DIS-

DISQUISITIO PRIMA.

Vtrùm Logica effectivè, an directivè tantùm concurrat ad ſcientiarum actus.

PRo intelligentia videndum hìc eſt, quid ſit effectivum exhibere concnrſum; quid verò directivum. Dicitur effectivè concurrere ad actum, qui revera in eum ſeſe mittit agendo, eique verum eſſe communicando. Sin verò aliam dirigat potentiam, ut hæc moveat ſe ab intrinſeco, & ſola exeat in actionem, tunc agit directivè tantùm. V.g. ſi adſit Magiſter, qui ſcribentis manum ducat, is etiam ad caracterum picturas effectivè deſcendit. Verùm ſi cum puero ita ſe gerat, ut eidem regulas bene ſcribendi tantummodo exhibeat, manum rei non admovendo, tunc ad eas caracterum notas directivè tantùm concurrit, quia potentiam alterius verbo tantùm modo regit.

Rurſus revocandum huc eſt quod jam ante dicebatur, Logicam dividi bifariam; & in eam, quæ nobis

à natura insita est; atque in eam, quæ dicitur artificiosa. Prima quidem concurrit ad acta mentis humanæ, quia non est nisi virtus discursiva, nullatenus à natura ratiocinante distincta. Et hæc si iuvetur ab artificiosa, tam bene procedit, ut citra errores, in quos offenderet, verè concinnet ratiocinationes. Cœterùm de hac non agitatur quæstio. Res enim est omnibus manifesta, eam concurrere ad scientiarum actus, & quidem illos efficiendo.

Advertendum tertiò, Logicam artificiosam non esse in nobis nisi ut seriem documentorum, quibus tanquam instrumento cœterę scientiæ utuntur, quandocunque circa obiecta sua procedunt. Nam illæ non sine ductu, atque documento faciunt, cùm ratiocinantur, cùm dividunt, cùm definiunt, cùm arguunt, contendunt, convincunt &c. sed à Logica quodammodo excitatæ in ea omnia exercent se, finemquè suum consequuntur. Igitur hęc Logica suum & ipsa concursum accommodat, quoties cœteræ scientię in actus exeunt suos. Queritur iam, sitne concursus iste directivus tantùm, an verò effectivus.

CON-

CONCLUSIO

Logica ut docens directivè tantùm concurrit ad ſcientiarum actus. Vtens verò, quæ non eſt niſi mens, effectivum præbet concurſum.

OStenditur. Nam quoad primum, hoc idem tenet Ariſt. 1. Rhetor. 1. D.Thom. 1.2. q. 57. art. 3. & alii frequenter. 2. ſic. Logica docens ea eſt cognitio de bonitate argumentationis &c. quam noſtra mens intuetur quaſi regulam, ut cum habitibus cœterarum ſcientiarum diſcurrat, dividat, definiat &c. ſed iſta cognitio non concurrit effectivè ad ſcientiarum actus; ergo directivè tantùm. Minor oſtenditur, quia ea cognitio non elicit ipſa definitionem, argumentationem &c. verùm inſervit dumtaxat ut norma, qua mens dirigitur in exercitii bonitatem, relinquendo ſcientiis hoc munus, ut unaquæque circa ſuum obiectum effectivè procedat. Sicut ergo Magiſter, qui v. g. conſtituit normam diſcipulo, ut ex arte ſcribat, dicitur cum eo directivè tantùm concurrere ad caracteres; Imò quemad-

modum musica residens in mente cantoris hunc tantummodo regit, ut musicum sonum emittat; hac eàdem ratione facit Logica: ut merè docens movet physicum, medicum, mathematicum ad ratiocinia, quæ ab his efformantur.

Probatur etiam quoad utentem. Logica enim utens est ipsa omnino mens, quatenus utitur documentis, & verè agit. Sed mens effectivè concurrit ad scientiarum actus. Ergo &c. Major à nobis ostensa jam est. Minorem sic probo. Demus v. g. mentem esse à Docente instructam circa definitionem, divisionem, argumentationem: certè concurrit ad hæc omnia; nec ulla invenitur causa, nisi hæc, à qua documenta trahaantur ad praxim. Ergo Utens effectivè concurrit. Res non quęrit argumentum, nisi ab eo, qui omni mente careret.

Obiicitur 1. Demus esse me instructum habitu mathematico, & actu discurrere circa quantitatem. Sic arguitur. Dum mens ita discurrit mathematicè, hoc idem facit Logica Docens; ergo ad actus mathematicæ non concurrit directivè tantùm. Convincitur antecedens. Etenim assumo hunc actum, qui est mathematicus, & rogo. Aut est intrinsecè,

cè,

cè, ac in ſe concinnatus ex arte, aut non ita. Concedis? ergo Logica concurrit ad ipſum, itaut ei communicet hoc eſſe artificioſum. Negas? contra urgebitur: quia hic actus non tantùm eſt ab intrinſeco mathematicus, verum, & ęquè bene artefactus. Ergo intriniecus habet duo: nimirum eſſe mathematicum, & eſſe logicum ex arte: at ideo eſt mathematicus, quia ſcientia mathematica concurrit ad ejus effectionem; ergo ſi etiam logicus eſt, & quidem ex arte, Docens quoquè ad eum intrinſecè concurrit. Non ergo directivè tantùm.

Negatur conſequentia, & ratio ſuadet. Quia ut hic actus revera, & ab intrinſeco ſit artefactus, aut logicus, non requiritur, niſi ut Docens concurrat dirigendo. Mens enim noſtra quoties habet documenta, ſi ea obſervet, agit ritè, ſcitè, atque ad normam ſibi oſtenſam, & ſic benè ratiocinatur. Manifeſtum hoc eſt in puero ſcribente; nam revera ſcribit ex arte, ſi moneatur à magiſtro; quanquam hic ad ejus caracteres actu non influat. Conſtat etiam in ſeruo tuo, quo uteris tamquam inſtrumento à te diſiunctò. Is enim ſi te audiat, & agendi norma ei oſtendatur, agit ex arte; nec tamen tu,

qui Dominus es, ipsum te ingeris in acta ejus; alioquin & coquum non rarò ageres, & barbam tanderes.

Obiicitur 2. quotiescumque habitus est in potentia, cum hac eàdem facit actum: sed Logica Docens est habitus; ergo & cum Medica, & cum Mathesi, & cum omni scientia suum dat concursum, nec tantùm habet se dirigendo.

Distinguo minorem. Est habitus verè dirigens, concedo; effectivè agens ut causa, negatur. Ergo actu concurrit ad scientiarum exercitia, non conceditur. Satis hoc patebit, si consideres naturam Docentis. Quid enim ea est, nisi documentorum series in mente ratiocinantis? At ista series quid rogo facit, nisi se met ostendat, ut scientiæ condiscant ab ea ritè agere in ratiociniis? Preter hæc siquid ei tribuis, & ista nostra B.Mariæ Icon in omni homuncione, qui eam imitetur, sese delineabit.

DIS-

DISQVISITIO SECUNDA.

Vtrùm Logica scientiarum acquisitioni simpliciter necessaria sit.

PRo intelligentia faciunt hìc ea, quæ dudum, & jam crebrò innuimus; tantam inesse humanæ menti vim, ut naturà, ingenioque suo discurrat, unum ab alio deducat, probet, convincat: & siquando in errores offendit, hoc ex eo contingere, aut quia minùs attentè meditatur, aut quia rerum obiecta ei sese non satis ostendunt.

Rursus advertite, per hanc discurrendi virtutem nos quoquè Logicam acquisiuisse, quam dicimus artificiosam. Enimverò cùm naturæ ductu axiomata quędam ex diuturna obſervatione sancita sint ad ritè ratiocinandum, hæc in mente coordinata sese ita exhibent, ut quoties agere contingat, nobis inserviant instar normæ, cujus ductum sequentes ratiocinia ritè conficiamus.

Tertiò duæ Logicæ à nobis distinguendæ sunt. Prima est methodica,

quam ex Aristot. digestam conscribimus, & iis constat axiomatibus, quæ circa terminos, circa enunciationes, circa texturas argumentorum tradebantur. Secunda est, quam sibi unusquisque facit, ex attenta meditatione, quoties circa rem Marte proprio inueniendam, sive sit scientia, sive ars, ratiocinio suo versatur. Hisce cognitis, notetur.

CONCLUSIO

Logica non est omnino necessaria pro acquisitione scientiarum, si hæc sit artificiosa, seu methodica ex Arist. mutuata.

OStenditur 1. quia scientiæ omnes acquiri possunt ex attentione Logicę nobis jam traditę à natura, neque in hoc necessum est uti artificiosa. Probo: nam quomodo isthęc, quam dicimus ex arte inventam, acquisita est? Eam certè condidit, auxit, confecit mera Naturalis. Ergo quę à natura nobis data est,

om-

omnino erit ſatis ad quancumque, ſive artem, ſive ſcientiam.

Roboratur argumentum; quia hoc fecerunt Veteres ij ante Ariſt. quos jam ſcimus invexiſſe Mathematicam, Phyſicam, Geometriam, & hujuſmodi ſcientias. Tunc verò non aderat Logica, quæ dicitur artefacta, & in hanc methodum digeſta. Quemadmodum ergo ex attento uſu meræ Naturalis omnia hæc adinventa ſunt; ita &c. Hinc Baco, Gaſſendo, Cartheſius, & ii tandem, qui verè ſciunt, omiſſo etiam Ariſt. Organo, excogitarunt nova ſciendi axiomatà, quæ nos ad cognitiones rerum ſcientificas egregiè conducunt.

Oſtenditur 2. quia jam novę ſcientiæ acquiſitæ ſunt, ex eo, quòd multa congeſſimus experimenta, ex quibus fiunt inductiones certę, itaut ritè, ac ſcienter in iis ratiocinemur. V. g. quia in ambiente vitreo ſubtrahitur machinis aer; quia ibi, aut auis, aut anguis, de induſtria relictus, emoritur; quia ærea campana utut excuſſa non reddit ſonum &c. Verè arguimus, nonnunquam contingere vacuum; & quoties contingit, actiones in eo fieri admodum raras, aut etiam nullas. Inde mirum eſt, quàm bona oriantur ratiocinia, & ad res hucuſque abditas gradiamur. At

quis

quis nesciat in hujusmodi veritatibus non egere nos discursu, nisi quo à Natura donati sumus?

Obiicitur ex Galeno contra Esistratum, qui omnem hujusce artis necessitatem denegabat, sic. Aut omnia inferuntur ex omni re, aut non. Si non: ergo requiritur ars, unde sciamus, quid possit inferri, & à quo. Hęc autem non est, nisi Logica. Ex aduerso si omnia deducuntur ex omni: Ergo quia Cycnus est candidus, & coruus niger, Esistratus erit Asinus.

Dico, requiri sanè artem, ut sciamus, ex omni re non sequi omnia; sed hanc artem esse nobis à natura insitam; & consistit in attenta meditatione circa rem, quæ in discursum trahitur. Nam sicut hæc satis extitit vetustis Logicæ Inventoribus, ita nunc sufficiet ad cœtera omnia cognoscenda, si attento, accuratoque ratiocinio utamur, si à sensu ad sensum vocemus dubia, si detecto errore conemur invenire causam, si tandem experimenta consulamus. Ad hęc autem quis non videat, sufficere donatum nobis à naturaa discursum, & maximè in iis, qui commendantur ingenio? Adsit jam Esistratus hac nostrà Logicà destitutus. Eum tu argue sic. *Venus est astrum: ergo mus*

ro-

rodit caseum. Negabit consequentiam, & merà usus ratione suà, ostendet se non esse Asinum.

Obiicitur 2. ex D. Augustino. Siquis careat Logicà, is nesciet omnino, quęnam sit bona consecutio, bona divisio, bona definitio. Convincitur, quia ignorat, nunc terminos, nunc, enunciationes, nunc modos argumentorum, sine quibus miserrimè aberramus. Ergo Logica ex arte tradita neçessaria est in rigore ad scientias.

Distinguo; ut citiùs, & securiùs eę acquirantur, concedo; ut haberi non possint sine hac arte, aut methodo, negatur. Jam scis quàm scienter egerint Astronomi, Mathematici, & Physici vetustiores, antequam Stagyrita organum suum invexisset, cùm tamen ad hoc non adhibuerint nisi rationem, sive discursum naturà insitum. Imò da mihi rusticum, qui nec viderit gymnasium; & roga. *Omnis homo habet animam?* Dicet quòd sic. Insta. *Tu autem es homo?* Non negabit. Quid ergo? Arbitror sanè illaturum, *se habere animam*, & in hac sententia mordicùs mansurum. Quamvis verò nesciat de attributo, subiecto, medio termino &c. id non interest, nec requiritur ad hanc numero scientiam. Sciet is tamen, se ha-

habere animam; & si rogetur unde sciat, dabit causam, *Quia homo sum, atque omnis homo animam habet*. At quid existimas facturum, si esset quoquè in studio versatus, acerrimoque ingenio munitus? Uteretur Logicà, qua donatus est à Natura, & sciret. Igitur à necessitate sciendi abigas tu hanc tuam ex arte factam.

Obiicitur 3. Nemo scit, nisi & sciat redigere conclusiones ad sua principia: sed hoc numquam fiet, si tantùm nitatur discursu à Natura insito; ergo requiritur omnino logicus. Major de se constat. Minor autem ostenditur, quia natura neminem docuit rationem, qua definitur, convertitur, nunc directè, nunc indirectè concluditur, &c. Igitur ad hęc omnia requiritur ars.

Nego minorem. Satis enim est naturale ratiocinium ad hęc omnia, & maximè in materia, quæ manifestis, notissimisque principiis innitatur. Quia tunc ratio nostra, si bene attendat rem, struit sermones verè scios, & novit eos ita redigere in sua initia, sive radices, ut sciat se scire, ac ritè facere in ratiociniis. Hoc agebant Veteres Mathematici, & quicumque, adhuc

non

non habitâ Logicà istà, in omni re scienter sermocinabantur. Sed mei Auditores Marte suo ad hæc omnia sufficient. Quęso: nonne vos Geometriæ jam studuistis? Ita. Nonne scitis hanc, eamque figuram revocare in sua principia? Equidem. Nonne tam varia, tamquè ardua Teoremata tenetis, & circa ea ratiocinium scitè facitis? Nemo vestrum negat. Vobis tamen non aderat subsidium à Logica ista methodica. Ergo sine hac, & scitè ratiocinari, & scire potuistis. Non habent vim argumenta, quæ vos etiam novitii tam bene infringitis. Addo. Ex te non est qui sciat sine hac methodo. Ergo antequam sibi eam strueret, erat inscius & Aristoteles. Quid verò tuo Principi tam fœdè tu inuris?

De

De Tribus Intellectus humani operationibus

DISPVTATIONES.

FEcimus jam ſatis Logicæ noſtrę, inquirendo circa ejus naturam, de qua ingenui cùm ſimus, veritatiſque ſtudioſi, ſtatutum eſt, unam eſſe Docentem, gaudere magis nomine artis, verſari totam circa rem, ſive objecti factionem, & ad ſcientias non requiri, niſi ut minori negotio condiſcantur. Ea verò grati animi ergo ſtatim ſeſe ad noſtra etiam convertit, atque hunc trinum mentis humanæ actum, Apprehenſionis, Judicii, & Diſcurſus meditatur. Non quidem ut eos regat, rectoſque conſtituat (nam hoc dudum egerat) Sed magis ut eorum virtutes renunciet, ac doceat.

DIS-

DISPVTATIO PRIMA.

De Apprehensione.

QUæ agitantur hoc loco sunt ; Deturne in Apprehensione veritas, aut falsitas. Quoniam verò apprehensio secatur in duas, nimirùm in simplicem, atque mixtam; quęritur, an in utraque veritas, & sic etiam falsitas inveniri queant. Mox; an veritas, falsitasque assumant sibi, & magis, & minùs.

Ad quæ omnia expeditiùs decidenda, necessarium duco aliqua priùs decernere circa veritatem in communi consideratam, ut inde fiat commodior ad particularia descensus.

DISQVISITIO PRIMA.

Quid sit veritas, & ubinam consistat.

PRo intelligentia non videtur esse quid congruentius, quàm si veritatis definitionem huc statim adducamus. Traditur ea sic. *Veritas est conformitas cognitionis ad objectum*. E contra, *Falsitas est cognitionis ab obiecto difformitas*. Patet inde, tunc dici verum, quando res ita se habet, quemadmodum asseritur; Falsum verò, cùm diversimodè, ac dicitur. Hinc D. Anselm. de veritate cap. 2. ajebat; *enunciationem esse veram, quando est quod enunciat, quia sic enunciat quemadmodum res est: Falsam verò è contra*.

Explico magis. Consistit veritas in conformitate cognitionis ad rem; falsitas in difformitate cognitionis ab eadem. Quare si existentia rei, aut objecti consonet cognitioni, ea cognitio erit vera. Sin è contra non ita in mente res attingatur, ut in se jacet, cognitio manet falsa. Inde constat, veritatem duo dicere; sicuti & falsitatem: Unum cogni-

gnitioni omnino intrinsecum, quod est viua repræsentatio ; alterum cognitioni extrinsecum ; hoc est, quòd res ita se habeat, ut cognitione attingitur. Hisce jactis, manet.

CONCLUSIO

Veritas adæquatè sumpta est in cognitione connotante obiectum ; itavt denominatio veri ab utroque sumatur.

OStenditur quoad primum auctoritate Arist. cap. 1. de subst. cùm ait. *Ex eo quòd res est, aut non est, enunciationem dici veram, aut falsam.* Ergo veritas adęquatè considerata dicit obiectum ut connotatum, & ab eo denominatur. Probo. Enunciatio non est vera secundùm se tantùm ; sed eò quia res, aut obięctum sit in se tale, ut enunciatur, siue cognoscitur. Ergo non dicitur vera, nisi connotet obiectum. Confirmo, quia veritas non est cognitio tantummodo (secus enim omnis cognitio foret vera). Est itaquè cognitio cum hoc addito, ut res in se om-

omnino sit quemadmodum cognosci-
tur. Hinc non dicetur unquam co-
gnitio esse vera, nisi objectum in se
ita maneat, ut repręsentatur. Ergo
veritas adęquatè considerata connotat
objectum.

Probatur 2. Emittat quis hanc v.g.
enunciationem: *Petrus currit*, dum
revera currit. Mox eamdem repetat,
cùm à cursu cessaverit. Certum est, in
hujusmodi enunciationibus attingi,
seu cognosci cursum Petri: sed in
hoc tantùm non est sita veritas; ergo
dicit etiam quid aliud, hoc est obie-
ctum, quod verè sit, ut cognoscitur.
Veritas ergo ita est in cognitione, ut
connotet objectum, & ab eo denomi-
netur.

Probatur 3. Si enim veritas adęqua-
tè foret in cognitione, ut mera co-
gnitio est, sine connotatione ad ob-
jectum, Dęmon cognosceret verita-
tem liberè futurorum: sed hoc esse
nequit; ergo &c. Probo majorem.
Enunciet quis hoc modo. *Petrus cra-
stina die furabitur*. Dęmon certè co-
gnoscit hunc actum; & ita quidem,
ut in eum intimè, atque omnino va-
dat. Jam demus, actum nobis etiam
nescientibus esse verum. Ergo Dę-
mon cognoscit, cras fore peccatum;
non minùs atque cognoscat Deus.
Verùm hoc objectum est liberè futu-
rum;

rum; igitur Dæmon cognitionem habet contingenter futurorum. Sin verò dicas, eum nescire veram esse cognitionem, quia non videt obiectum, hoc est quod aueo. Ergo veritas hujusce actus dicit etiam quòd in se objectum tale sit. Itaquè cognitio neqnit esse, aut dici vera, nisi connotat objectum.

Obiicitur 1. Cognitio vera, est in se, ab intrinseco, & adęquatè vera; ergo veritas tota est in cognitione, itaut sumi nequeat ab extrinseco, sive obiecto. Convincitur. Nam si veritas non foret cognitioni tota intrinseca, esset partim exitinseca: sed hoc dici nequit; nam veritas est una, & indistincta; ergo &c.

Distinguo consequens. Ergo veritas tota inest in cognitione, itaut sumi nequeat ab extrinseco, denominativè, hoc negatur; expressivè, conceditur. Ad argumentum distinguo similiter &c. Itaque cognitio dicitur tota, & adæquatè vera, quandiu res ita se habet ut cognoscitur. Ex hoc autem non sequitur, veritatem non sumi denominativè ab extrinseco, sive ab eo quòd res ita sit in se ut repræsentatur. Quamvis enim veritas una, & indistincta existat, non tamen unum est fundamentum, ex quo sumitur denominatio. Sic v. g.

ima

imago bene picta dicitur vera. Veritas autem isthæc manet eidem tota, & adæquatè intrinseca; etiamsi fundamenta, ex quibus oritur, duo sint; nimirum cognitio ita exprimens, & obiectum ita se habens. Illud est cognitioni verè intrinsecum, nec ab ea distinguitur; hoc omnino extrinsecum, & ad meram inserviens denominationem.

Obiicitur 2. Veritas Divinæ cognitionis necessariò, tota, & adęquatè intrinseca est cognitioni; ergo & de omni alia cognitione hoc dicendum. Probatur antecedens, quia Divina cognitio in sua veritate non dependet ab extrinseco. Et confirmatur: nam ista nequit non esse vera; ergo veritas manet eì tota intrinseca, & essentialis. Igitur non desumitur ex obiecto.

Distinguo antecedens. Veritas est tota intrinseca Divinæ cognitioni, quoad expressionem, non nego; quoad terminum, ex quo sumitur denominatio, erras. Et ratio est, quia veritas Divinæ cognitionis non videtur esse, nisi mera eadem cognitio, quę dicitur necessariò vera, eò quod res necessariò attingit, ut in se verè sunt. Ad argumentum, distinguo etiam. Divina cognitio in sui veritate non pendet ab extrinseco,

de-

denominativè, nego; expressivè, concedo. Ex eo enim, quòd cognitio Dei attingit obiecta, ut merentur attingi, & in hac re non est obnoxia erroribus, certo certius est, secundùm hanc rationem non pendere ab extrinseco. Verumtamen quia denominatio cognitionis veræ connotat obiectum in se ita esse ut cognoscitur, ea cognitio denominativè ut vera pendet ab objecto, non minùs ac denominatio Creatoris dicat à creatura pendentiam. Itaquè cùm dicitur cognitio Divina esse vera necessariò, & essentià, non abnuo; ea siquidem est, quæ aberrare non potest. Cum hoc tamen adhuc manet, ut dici nequeat vera, nisi & obiectum sit in se quemadmodum cognoscitur. Ex quo habes, denominationem veri etiam in cognitione Divina esse ab objecto pendentem.

Obiicitur 3. Ex doctrina jam tradita sequitur, veritatem nullo modo intrinsecam esse cognitioni; ergo vana doctrina. Probatur antecedens, quia dato veritatem esse totam in cognitione, dicebatur fore, ut Dęmon cognosceret objecta contingenter futura: igitur veritas nullo modo cognitioni est intrinseca. Probatur, quia dato v. g. Petrum esse cras furaturum, si Dœmon enunciet sic;

Petrus crastina die furabitur, certè cognoscit intimè actum suum : At isti veritas intrinseca est ; ergo Dęmon attingit obiectum contingenter futurum.

Nego antecedens, & quoquè minorem. Quia Dœmon in dato casu veram sanè cognitionem eliciet de objecto contingenter futuro. Nam v. g. si Deus enunciet : *Petrus crastina die furabitur*, simulquè cum eo Dœmon quoquè sic dicat, manet vera non tantùm Dei enunciatio, sed etiam Dęmonis, quia uterque idem enunciat. Adhuc tamen diversa est cognitio Dei à cognitione Dęmonis. Etenim Deus cognoscit duo; nempe cognitionem veram ; & cognoscit etiam esse veram, quia videt intuitiuè furtum Petri crastinæ diei annexum. Dęmon verò unum tantummodo attingit, hoc est cognitionem sui veram, sed non cognoscit esse veram, quia non videt obiectum ut in se iacet. Sic v. g. siquis aduene videat nunc imaginem Ducis Maurocæni, rursus armata contra Turcam sumentis, & ea imago sit ritè conficta, veram sanè imaginem videt ; ceterùm nescit an vera sit, quia virum de facie non agnoscit. Hac eadem ratione ille Dęmon attingeret sanè cognitionem in se veram, sed

quia

quia non videt objectum contingenter futurum, nescit an sua cognitio vera sit.

Patet inde assertum nostrum; hoc est veritatem esse intrinsecam cognitioni, quoad rei expressionem; extrinsecam verò ratione denominationis, qua veritas constituitur in esse adæquato veritatis. Id autem non quia denominatio tribuat quid intrinsecum cognitioni; sed quia ex objecto, ita se habente ut cognoscitur, oritur hoc, quòd cognitio dici vera, & queat, & debeat.

Obiicitur 4. Cognitio nequit esse vera ob extrinsecam veri denominationem: ergo per formam cognitioni aduenientem intrinsecùs. Conuincitur antecedens, quia cognitio naturà suà indeterminata est ad veri, & non veri denominationem. At omnis indeterminatio demitur à forma intrinsecè addita; ergo non est adæquatè vera ob extrinsecam nostri denominationem. Et quidem hæc forma intrinseca erit accidens physicum, quod ex obiecti mutatione subinde mittitur in cognitionem.

Distinguo antecedens. Cognitio nequit esse vera ob extrinsecam veri denominationem; veritate imaginis, concedo; veritate denominationis, negatur. Ad argumentum, concedo

cognitionem naturà suà indeterminatam esse ad veri, & non veri denominationem; sed hęc indeterminatio satis etiam demitur ab extrinseco, nimirum ab eo, quòd res ita se habeat, sicuti cognoscitur. En tibi argumenta. Murus hic indeterminatus est, ut dicatur visus, aut non visus: hæc tamen denominatio nascitur à visione omnino externa. Petrus est indeterminatus, ut commendetur, seu è contra: hæc tamen denominatio tota oritur à commendatione omnino extrinseca. Tu etiam indeterminatus, ut sis mihi dexter, aut sinister: hæc tamen denominatio venit à situatione mea tibi omnino externà. Ergo & cognitionem dici veram, seu non veram, oritur ex obiecto, quod ita, seu non ita se habeat. Cur enim nisi ex hac mera causa icon v. g. humana, nec erit, nec vocabitur vera, *si ei quis cervicem pingat equinam?*

DIS-

DISQVISITIO SECUNDA.

Vtrùm in Apprehensione sit veritas, & falsitas.

PRo intelligentia memineritis quod jam innuebamus; Apprehensionem esse Simplicem, quæ rem unam, merè unam attingit; ut v. g. cùm quis cognoscit aurum, gemmam, radium &c. Deinde mixtam; quæ nimirum diversa unico actu apprehendit. Est hujusmodi v. g. si hæc tota enunciatio, *Venetus domat Othryssios*, concipiatur. Quæstio jam fit de utraque; utrùm in iis, & veritas æquè ac falsitas inveniri queat, imò debeat.

CONCLUSIO

In apprehensione simplici datur semper veritas . In complexa verò , aut veritas , aut falsitas .

OStenditur quoad primum auctoritate Arist. 3. de anima cap. 6. ubi ait. *Sicut visio proprii est vera ; sic se habent ea , quæ sine materia sunt* . Enodatur sic . Visio est simplex quidam actus , objecti exhibitiuus , & ideo apprehensionis nostræ concinna imitatrix . At ex Arist. visio circa objectum , quod sit proprium , est vera . Ergo & ea , quæ sunt absque materia , hoc est simplicia , vera sunt . Sed apprehensio non mixta, seù circa rem merè unam , est hujusmodi; ergo semper vera .

Ostenditur 2. ratione; quia veritas non videtur esse , nisi mera conformitas in cognitione ad objectum : sed apprehensio est omnino conformis , dummodo sit simplex ; ergo & vera . Minor constat . Nam qui rem apprehendit unam merè unam, nequit eam non apprehendere sicuti est ;

ergo

ergo apprehensio erit eidem conformis. V.g. si obiiciatur aurum, cognitio exprimit aurum ut est; si gemma, verè imitatur gemmam; si astrum, repræsentat omnino astrum. Ergo talis cognitio habet cum re conformitatem. Ergo semper est vera.

Ostenditur etiam secunda pars. Etenim si apprehensio contingat nobis mixta, hoc est si feratur in obiectum, quod in se habeat multa unitim, huic toti obiecto potest esse conformis; ergo vera. V. g. si attingatur tota hæc enunciatio; *Venetus fudit hostem*, tunc attinguntur *Venetus* ut subjectum; *hostem* ut prædicatum; & verbum *fudit* ut nexus inter extrema. Igitur hæc apprehensio est conformis objecto. Antecedens conuincitur; quia totum id esse debet in hujusmodi cognitione, quod mox in judicio: at in judicio erunt hæc omnia; ergo & eadem in apprehensione simul fuisse justum est. Ea igitur conformitatem habet cum re sua, siue cum objecto.

Demum conuincitur quoad tertium. Apprehensio enim, aut rem attingit quemadmodum in se jacet, aut non. Si primum, est conformis, & vera: Si secundum, manet difformis, & idcirco evadit in falsam.

Quoties autem res non est merè una, sed mixta, & complexa, eam cognitio quibit attingere diverso modo, ac in se jacet. Ut v. g. si attingat centaurum duabus naturis, humanà, & bovinà compactum. In quo casu ea certè cognitio, inconcinna, difformis, & dissimilis rei est, quia nusquam inuenitur hoc obiectum. Ergo tunc dici nequit vera.

Obiicitur contra primam assertionis partem. Omnis cognitio etiam simplex nonnumquam fertur in objectum, quod in se non est, sicut attingitur; ergo & isti bene poterit inesse falsitas. Ratio antecedentis est, quia v. g. potest attingere vitrum vice adamantis, qui attingi debebat: Ergo ista cognitio non erit conformis objecto.

Nego antecedens. Ad probationem dico, eam cognitionem esse omnino veram, quia revera conformis est vitro. Nec enim refert, quòd mens omiserit attingere adamantem, dummodo apprehensio sit conformis rei, quæ actu attingitur.

Obiicitur 2. Simplex cognitio fertur etiam in objectum non ut jacet in se; igitur esse poterit falsa. Ostenditur antecedens; quia v. g. cognoscit in equo virtutem sermocinandi, quæ vir-

virtus in eo non eſt, imò & erit nunquam. Ergo poteſt rem attingere diverſo modo ac eſt.

Nego antecedens. Ad argumentum dico, in iſto, & hujuſmodi caſibus cognoſci ſanè objecta cum addito, in iis non exiſtente: ſed hoc fit cognitione complexa, quæ non continuò eſt vera. Suadetur, quia in obiecto dum cognoſcimus quod in eo non eſt, rem attingimus non unam, ſed cum eo attributo, quod confingimus; ergo tunc non eſt cognitio ſimplex.

Obiicitur 3. contra totam aſſertionem. Si daretur veritas in apprehenſione, iſta non differret à judicio. Ergo in ea nulla veritas eſt. Conuincitur ex Ariſtot. 1. Periher. cap. 1. ubi ait; *verum, & falſum in compoſitione, atque diviſione manere totum*; hoc eſt in judicio, cujus componere, atque dividere munus eſt.

Nego antecedens. Ad argumentum dico, verum, aut falſum æquè bene ineſſe judicio, & apprehenſioni, ſed non uno modo. Hæc enim veritatem habet, aut falſitatem in repræſentando; judicium verò in aſſerendo. Ut v. g. ſi exhibeatur Imago Cæſaris bene ficta, hæc dicitur quidem vera in exprimendo: ſin au-

tem & eidem subscribantur hæc verba. *Imago ista est concinna Cæsaris imitatio*, dicitur esse vera in asserendo. Rem tu quoquè judicabis ut ego sentio. Nam si merè cognoscatur à me, aut Sanctus Thomas, aut Scotus ut Doctor maximus, non credo te (siue Thomista, seu Scotista sis) dicturum, hanc non esse cognitionem omnino veram, nisi te tui asserti æternùm pudeat.

DISQUISITIO TERTIA.

Vtrùm veritas, & falsitas queant habere magis, & minus.

PRo intelligentia moneri debetis, veritatem dici majorem veritate quoad fundamentum; eò quia motiuum, cui nititur, sit majus alio. Sic v. g. hæc enunciatio, qua dico; *Deus est*, manet verior eà, quæ dicit; *Socrates doctor est*. Non inquam verior formaliter, quasi ea congruentior sit obiecto, quàm secunda; verumtamen ratione fundamenti: nam siquis dicat, *Deus est*, majus habet, certiusque ita dicendi motiuum.

Secundò procul dubio etiam est, ve-

veritatem esse majorem veritate quoad extensionem: Quoties nimirum cognitio plura in obiecto attributa consequitur. Sic v. g. cùm attinguntur in Deo justitia, misericordia, scientia, bonitas&c. hujusmodi cognitio manet verior extensivè, quàm si tantummodo cognoscatur sapientia.

Difficultas autem non est circa veritatem fundamenti, aut extensionis; verùm circa formalem, quæ tota moratur in congruentia cognitionis ad objectum. Quærimus ergo de hoc, utrùm queat habere magis, & minus. Ita etiam de falsitate, an major, minorue dici possit.

* * *

CONCLUSIO

Veritas formaliter sumpta non dicit magis, aut minus. Imò nec falsitas.

PRobatur, quia essentia veritatis in eo tota versatur, ut referat objectum sicuti est: sed cognitio vera nequit magis referre objectum sicuti est, quàm alia item vera; ergo veritas non dicit magis, aut minus. Convincitur minor; nam referre objectum sicuti est, consistit in indivisibili; ergo nequit, aut magis referri, aut minùs. Constat antecedens, quia objectum quandiu exhibetur sicuti est, ei nec additur quidquam, nec detrahitur; ergo referre obiectum sicuti est, consistit in indivisibili; & sic veritas nunquam habet, aut magis, aut minus.

Roboratur. Nam si v. g. duæ sint sphęræ, a. parua, & b. magna, æquè rotundæ sunt; nec enim a. quia minor, minùs est rotunda; nec b. quia major, magis rotunda. Ita etiam si duæ sint lineæ, una unius digiti, secunda verò duorum, non bene ista rectior dice-

ceretur, quàm ea, nisi fortè voces rectiorem extensivè, quatenus majorem habet extensionem ubique rectam. At in ratione mera rectitudinis, tam ea, quàm ista rectæ sunt.

Probatur quoad secundum, quia obiectum, circa quod est cognitio falsa, sive unum est, atque indistinctum, seu è contra: Utcunque sit, enunciatio nequit reddi, aut magis, aut minùs falsa. Ergo &c. Probo minorem quoad obiectum in se unum, atque indistinctum. Si enim quis dicat: *homo non est; Deus non est*, nequit esse major non existentia hominis, quàm sit non existentia Dei: ergo falsitas non est major, aut minor. Probo antecedens, quia rem non existere, situm est in indivisibili; ergo nequit esse major non existentia Dei, quàm hominis.

Probatur etiam de obiecto dividuo sic. Dentur v. g. centum auditores, qui huic lectioni scribendæ incumbant. Si dicat quis, decem tantummodo scribere; mox verò undecim, non est prima falsitas major, quàm secunda. Ostenditur: Nam sive dicas, tantùm esse decem, sive undecim eos, qui scribunt, æquo modo negas esse centum. Ratio est, quia centum scriben-

bentes non sumuntur divisim, aut seorsim; sed ut centenarium conficiunt numerum. Jam verò destruitur hic numerus, asserendo tantùm scribere decem, ac si asseras tantummodo scribere undecim. Ita v. g. si Petrus maneat Muriani, Franciscus verò in vico Mestrensi; quamuis iste magis distet Venetiis; attamen si quis diceret, utrumque agere Venetiis, æquo modo falsum enunciaret.

Obiicitur 1. Potest una enunciatio esse conformior obiecto, quàm alia; ergo & veritas habere magis, aut minus. Evincitur antecedens; nam cognitio, qua v. g. in Deo attingo justitiam, misericordiam, scientiam &c. est magis Deo conformis, quām si tantùm exprimat bonitatem. Consimiliter actus, quo in nive attingo candorem, & frigus, congruentior est objecto, quàm qui eam cognoscit ut merè candidam. Ergo &c.

Distinguo antecedens. Una Enunciatio potest esse conformior objecto; extensivè, concedo; formaliter, nego. Ad argumentum dico, eum actum, quo quis in Deo attingit diversa, esse magis conformem extensione, quia sese quodammodo extendit. Revera tamen æquè verus est qui unum cognoscit attributum,

ac

ac qui centum . Fecimus jam hujusce asserti rationem ; quia cognitio non ideo vocatur conformis , quòd multa in re attingat ; sed quia ita rem attingit , quemadmodum ea in obiecto est . Sin autem & prętèr hoc sint in re attributa , quæ non attinguntur , non idcirco ea cognitio minùs vera dicitur . V. g. si adsit imago Cæsaris obliquè picta , itaut faciem ostendat ex dimidio ; ea tam bene manet vera , si conformetur Cæsari , quàm si tota , & integra exprimeretur . Da ergo, ut rursus singatur, sed utramque habeat genam , ideone vocabitur ista magis vera ? non ita quidem . Aut si mavis dicere magis veram , erit hujusmodi extensivè , non formaliter . Hoc igitur & de actu cognitionis dicere justum est .

Obiicitur 2. Cognitio hæc ; *Petrus viget sensu* , conformatur minùs objecto , quàm ista ; *Petrus viget sensu* , *& ratiocinio* . Igitur hæc secunda verior manet . Probatur antecedens ; quia in utraque unum est , idemque obiectum ; sed prima illud exhibet minùs , & secunda magis ; ergo &c.

Nego antecedens , & distinguo ad probationem . Idem est obiectum in re , concedo ; formaliter, nego .

Ra-

Ratio est ; nam ista cognitio, *Petrus est sensitivus*, fertur in eum ut merè sentit; & quamvis in re, sivè materialiter, habeat etiam ut vigeat ratiocinio, tamen hoc prædicatum non ingreditur iam ut obiectum. Ideo satis est ad cognitionis veritatem, si Petrum bene attingat ut sensitivum. Secunda verò cognitio dicit obiectum formaliter diversum, eòquod in Petro nouum attingit attributum. Huic autem si æquè bene conformet se, tam erit vera hæc secunda, circa suum obiectum, quàm anterior circa suum, nec nisi extensivè majorem habebit veritatem. Non enim veritas in cognitione multorum sita est, sed in recta imagine, aut forma eorum, quæ cognoscuntur.

Obiicitur 3. contra secundum ex Aristot. 4. Metaph. 4. ubi ait; *Nec eodem modo mentitus est, qni quatuor esse quinque, ac qui centum arbitratur*. Ergo falsitas habere potest magis, & minus.

Distinguo consequens. Potest habere magis, & minus; extensivè, transeat; diverso modo, negatur. Arist. ergo exponendus est circa falsitatem extensivè consideratam; & sic quia centum distant magis à quaternario, ac distent quinque; idcirco non eàdem ratione videtur esse mentitus,

titus,

titus, qui credit quatuor esse quinque, ac qui centum arbitratur. In rigore autem utrobique unum est, idemque mendacium. Non enim error, aut mendacium, consistit in dicendo centum, at in asserendo non esse quatuor. Tam bene autem dicis non esse quatuor, si dicas esse quinque, ac si dicas esse centum.

Obiicitur 4. Potest una linea b. magis esse curua, quàm c. Igitur & mendacium b. majus esse, quàm c. Distinguo antecedens: extensivè, transeat; formaliter, nego. Ut res innotescat, detur b. magis curua, c. verò minùs. Prima curuabitur quoad se totam; secunda verò habebit partes etiam rectas. Ostendo: nam si v.g. duo sint circuli concentrici, major, & minor, æquè curui sunt, quia gerunt partes ita curuas, ut unaquæque sit verè curua. Ergo siquæ linea sit minùs curua, signum est, non gerere omnem sui partem verè curuam. Da igitur b. atque c. quæ sint quoad omnia curuæ, non erit b. magis curua, quàm c. Dico igitur & mendacium b. non esse majus mendacio c. nisi extensivè, quatenus b. recedit à recto, seu vero extensiùs, quam c. At in vera, & rigorosa ratione mendacii

(quæ

(quæ tota est in hoc , ut verum non attingatur) omnia mendacia æqua sunt , nam omnia non attingunt verum . Et ratio est , quia dum sermocinamur de formali , quærimus mendacii essentiam , non extensionem . Essentia verò consistit merè in hoc , ut non attingatur verum ; & id totum in indivisibili situm est . Contra mendacii extensio sumitur à mendacio contracto , physico , practico ; & hoc extensivè nunc majus est , nume minus , juxtaquòd aut magis recedit , aut minùs à vero.

* * *

DIS-

DISPVTATIO SECUNDA.

De Iudicio.

QUæ in hac Disputatione controvertuntur, quatuor nobis absolvent disquisitiones. Prima erit; sitne judicium, aut enunciatio unus quidam actus, merè unus, atque indistinctus. Deinde; in quonam instanti ea significet. Tertiò; queatne mutari eadem manens de vera in falsam. Quartò; utrùm enunciatio de futuro contingenti determinatam gerat, seu veritatem, seu falsitatem.

DIS-

DISQUISITIO PRIMA.

Sitne Iudicium actus quidam simplex.

PRo intelligentia meminisse debetis ea, quæ iam innuimus; judicium esse compositionem attributi cum subjecto, aut divisionem ejus ab eodem. Ex quo nonnemo est, qui arbitretur, judicium non in uno actu consistere, sed in aggregatione diversorum; itaut dicat actum, quo attingitur subiectum; deinde actum, quo prædicatum; tertiò actum, quo ea duo inter se connectuntur.

Secundò juvat repetere, judicium non fieri unquam, nisi duæ terminorum cognitiones antecesserint. Priùs enim cognosci debent extrema, subiectum scilicet, atque attributum, ut ea invicem componantur. Hisce cognitis, notetur.

CONCLUSIO

Iudicium unus est actus, & omnino indistinctus.

PRobatur; quia judicium non distinguitur à mentis verbo *est*: sed hoc manet omnino unum, atque indistinctum; ergo &c. Major de se constat. Nam si quis dicat: *Socrates est doctus*, hoc judicium non consistit in apprehensione Socratis; aut in ea, qua doctrinam eius attingo; sed in actu connectente utrumque simul. Minor etiam convincitur; quia verbum *est* manet in mente ut nexus, unio, & nodus extremorum. Sed unio est actus verè unus, atque indistinctus. Ergo & judicium. Probo minorem. Si enim unio in quovis genere non esset actus revera unus, atque indistinctus; ergo foret composita, & sic novam diceret in se unionem. Quo concesso, abiretur in infinitum.

Probatur 2. quia iudicium habet hoc in se formaliter, ut de rebus iam cognitis determinet, atque statuat. Verùm hæc determinatio unus est actus omnino indistinctus; ergo & iu-

judicium. Probo minorem. Actus iste, qui cadit, habitâ extremorum cognitione, supponit ea duo esse jam cognita; subiectum videlicet, atque attributum. Ergo actus, qui eadem nectit, unus est. Habet enim pro munere, non cognoscere, mox connectere; sed connectere tantùm extrema, duplici anteriore actu jam cognita.

Obiicitur 1. Judicium, aut est compositio, aut divisio; ergo non fit uno actu. Nego consequentiam. Compositio enim est actus, quit unit multa: cumquè unio revera sit una, manet esse unum & judicium. Ita etiam divisio.

Obiicitur 2. Si judicium uno actu constaret, non differret ab Angelico; ergo &c. Nego antecedens. Quia nostrum indiget apprehensionibus de subjecto, & attributo; quæ res ab Angelico non requiritur.

Obiicitur 3. Ubi sunt diversa objecta, sunt etiam actus diversi: at in judicio diversa sunt obiecta; ergo &c. Distinguo majorem. Si ea objecta sint per modum unius, nego actus esse diversos. Itaquè judicium tangit diuersa, hoc est subiectum, & attributum ut quid unum, ea nimirum uniendo simul.

DIS-

DISQVISITIO SECUNDA.

Quonam inſtanti enunciatio verificetur.

PRo intelligentia ſciendum eſt, duas eſse, ut ad nos jam attinet, enunciationes. Prima dicitur, quæ fit mente.; ſecunda quæ vocibus. Non quærimus hìc de illa, quia cùm uno, eodemquè iſtanti tota ſit, non admittit ſucceſſionem. Sermo eſt de vocali, quæ cùm ſucceſſivè contingat, dubium eſt, verane ſit in principio, in medio, an in fine dum terminatur.

CON-

CONCLUSIO

Vocalis enunciatio verificatur in instanti ultimo.

PRobatur; quia in extremo tantùm instanti determinatam habet significationem. Ergo tunc verificatur. Antecedens constat; quia in extremo tantùm instanti perfecta est; quiquè audit, nonnisi tunc sensum habet de rebus, quæ subiacent verbis. Ergo non significat nisi ultimo instanti, quo est.

Probatur 2. Enimverò antequam tota formetur enunciatio, nulla ejus pars retinet sensum, qui oritur ab ea jam concinnata. Ergo non significat, si tota non sit, atque in extremo. Convinco antecedens. Proferat quis hanc v. g. vocem *homo*, quæ sit initium enunciationis. Antequam subdatur ei attributum, verè nescimus quid significet *homo*. Si enim addatur *est corpus*; tunc significat esse materiam organicè distributam. Si *est sensitivus*; tunc facit sensùm, quòd anima sentiente sit donatus &c. Ergo pars in enunciatione totum habet sensum in extremo, quo ea sit.

Pro-

Probatur 3. quia enunciatio, qua in hostia consecranda utitur Sacerdos, non verificatur nisi ultimo instanti; ergo & sic de omni enunciatione asserendum videtur. Antecedenti non est qui contradicat. Sacra enim verba suum habent effectum, hoc est Christi præsentiam, in instanti novissimo enunciationis. Ergo tunc, & non ante verificantur.

Obiicitur 1. Enunciatio in extremo instanti non existit; ergo neque in eo verificari potest. Consequentia currit. Nam quomodo sensum reddet, si ea non est?

Distinguo antecedens. Enunciatio non existit in extremo instanti; voce, concedo; virtute, aut sensu, hoc nego. Quamuis enim in novissimo sui momento desinat esse; attamen adhuc viget in virtute, ac sensu, quem relinquit in audientibus; & quidem tunc integram habet significationem.

Obiicitur 2. Potest contingere in extremo instanti, ut non sit obiectum, circa quod fit enunciatio; ergo tunc enunciatio in extremo instanti non erit vera.

Nego consequentiam. Non enim verificari sumitur hìc pro esse conformi ad obiectum, quod actu exi-

ſtet ſed ſenſus eſt, enunciationem habere in extremo inſtanti totam ſui ſignificationem. Quòd autem ſit res, circa quam enunciatur, aut non ſit, parum intereſt; dummodo enunciatio ſenſum habeat integrum in extremo. Non enim eſt idem; ſignificare in extremo inſtanti, & pro extremo. Si enim dicas; *Alexander vicit Darium*, hæc enunciatio integrum gerit ſenſum in extremo inſtanti quo fit; etiamſi non ſignificet adeſſe victoriam pro eo. Secus, aut vana eſſet, aut magica excitatrix mortuorum.

DIS-

DISQVISITIO TERTIA

Vtrùm enunciatio mutari queat de vera in falsam.

PRo intelligentia quammaximè iuverit scire, omnem enunciationem dicere tempus. Constat enim verbo, quod significat cum tempore, ut à nobis iam dictum est. Sive autem tempus determinatum sit; ut si dicam, *Socrates totam vigesimam currit*: sive indeterminatum; ut si enunciem, *Socrates bora vigesima currit*: seu magis indeterminatè; ut si proferam, *Socrates currit*; non assignando quonam horæ istanti, aut quanto tractu is currat: quovis modo, inquam, enunciatio significet, hoc citra dubium esse debet, eam dicere tempus, cui coexistit.

Quamobrem enunciationis obiectum non est res tantummodo, quæ asseritur, aut negatur; sed etiam tempus consignificatum. V. g. si hoc instanti dicam *Socrates currit*, hæc enunciatio non significat cursum Socratis tantùm; sed cursum ut annexum instanti, quo enunciatur. Ex

quo fit, ut si pergam instanti b. dicendo *Socrates currit*, hæc nova enunciatio mutet sensum, atque objectum. Priùs enim asserebat cursum in instanti a. modò asserit cursum in instanti b. Itaque non manet una, & eadem enunciatio; sed mutat obiectum, dicitquè rem à prima omnino diversam. Hisce notatis, arridet nobis

CONCLUSIO

Eadem enunciatio nequit mutari de vera in falsam.

PRobatur, quia enunciatio conformis obiecto, nequit ipsa eadem se commutare in diversam; ergo nec mutari de vera in falsam. Probo antecedens; nam quæ dicitur obiecto difformari, non est eadem, quæ priùs erat, sed alia omnino; ergo quę conformatur, nequit esse difformis. De antecedenti constat ex antemisso adnotando. Enunciatio enim, quæ amittendo conformitatem obiecti vocatur falsa, est nova, & recenter edita enunciatio. Ergo non eadem ac prior; ideoquè non eadem est, quæ commutetur.

Con-

Confirmatur exemplo. Emittat quis hanc enunciationem: *Socrates currit*. Obiectum ejus non est cursus tantùm; sed etiam v.g. instans a. quo ea emittitur. Itaque si eo instanti a. Socrates currit, enunciatio erit vera. Demus jam, ut instanti etiam b. dicatur *Socrates currit*, nec tamen currat. Enunciatio quidem tunc erit falsa; sed non erit eadem ac antecedens. Ratio est, quia mutat obiectum, & asserit quid novum. Quamvis enim non advertat is, qui profert, reddit verè hunc sensum: *Socrates in instanti .a. currit: Socrates in instanti: b. currit*. Hæ verò duę sunt enunciationes, quarum una vera est, quia conformatur cursui; altera non item, quia difformatur. Igitur non est una, eademquè propositio, quæ migret de vera in falsam.

Obiicitur 1. Una, & eadem enunciatio nunc est obiecto conformis, & nunc difformis. Ergo de vera evadit in falsam. Ostenditur antecedens. Nam siquis integra die v. g. enunciet *Sol oritur*, sanè dictum hoc unum est, atque semper idem: At eà totà die non oritur Sol. Ergo enunciatio nunc est conformis, nunc difformis obiecto; & sic modò vera, modò non ita.

Nego antecedens, & quoquè majorem.

jorem. Ratio est, quia enunciatio *Sol oritur*, significat nova, & nova instantia diei, cui subindè coexistit, redditquè sensum, quòd oriatur nunc instanti a. nunc b. nunc c. atque sic per successionem. Non igitur eadem manet enunciatio. Prima ergo erit vera, si dum emittitur, Sol exoriatur: Sequentes verò non ita, quia conformes non sunt obiecto, dum enunciantur. Quamvis igitur dictio ea *Sol exoritur*, integrà die formata, non videatur mutare terminos, revera immutat; non extrinsecè, ac voce tenus; verùm intrinsecè, atque significato. Siquidem sensus eius est, oriri Solem, nunc instanti a. nunc b. &c. ut dicebamus.

Obiicitur 2. Si antequam erigerentur ædes istæ sacræ, dixisset quis: *erigentur ædes D. Mariæ Salutis*; eundemquè actum post etiam erectas continuasset; eo anteriore instanti actus iste mansisset verus, & deinde falsus. Ergo &c. Probatur antecedens. Nam ædibus jam extructis, falsò dicitur, eventurum esse, ut extruantur. Ergo actus de vero in non verum commutabitur.

Distinguo antecedens. Aut enim qui actum emisit, habuisset continuò idem obiectum, hoc est ædes Virgini exstruendas post instans, in

quo

quo actus emittebatur; & hoc dato, etiam factà erectione, verè dixisset *ædes excitabuntur*. Ratio est; nam quoad actum primò emissum, omnino verum est, quòd excitabuntur. Si autem enunciator non ea sibi repræsentet instantia, quæ ante structuram erant, sed erectis iam ædibus, continuet dicendo *excitabuntur ædes*, falsa erit enunciatio; non tamen erit eadem, quæ antecedenter, sed nova. Prima enim reddebat sensensum, excitandas fore post instans *.a.* mox verò excitandas novo instanti, hoc est instanti. .b. aut c. aut d. &c. Igitur enunciatio mutatur; nec eadem est, quæ modò sit vera, modò falsa.

Obijcitur 3. Actus, quo dico *Franciscus dormit*, Francisco dormiente verus est; sed eo non dormiente potest Deus eundem numero reficere actum. Ergo tunc erit falsus, quia revera Franciscus non dormiet.

Distinguo consequens. Ergo actus tunc erit falsus, modò repræsentet idem obiectum, quod antea, nego; si obiectum diversum, concedo; sed tunc non erit actus idem, qui prior. Adverte igitur, quòd actus ille: *Franciscus dormit*; si à Deo idem numero reficiatur, Francisco non dormiente, potest esse verus. Nam

si reddat sensum, dormire Franciscum, non in eo instanti quo actus reficitur, sed eo, in quo ante dormiebat, manet obiecto conformis. E contra si enunciatio *Franciscus Dormit* à Deo reproducta significet dormire in novo instanti, aut signo, quo reficitur, est omnino falsa, quia tunc Franciscus non dormit. Verùm in isto casu enunciatio non est eadem; imò nova, recens, & diversa. Tunc enim significabat somnum Francisci annexum instanti a. nunc eundem significat annexum instanti b. c. d. &c. Vides igitur, enunciationem hanc esse novam, & sic usque à dormiente convinceris.

Obiicitur 4. Propositio consecrativa, qua usus est Christus in cœna, enunciatur hodie à Sacerdotibus, nec tamen subit mutationem (siquidem si mutaretur, non haberet effectum) igitur non emigrat in aliam, utut diversis etiam instantibus dicatur.

Distinguo. Non mutatur quoad verba necessaria, & constitutiva Christi sub hostia, concedo; non mutatur quoad connotata temporis, nego. Enunciatio enim consecrativa duo habet. Unum revera necessarium, & ad substantiam sacramenti requisitum, nimirum verba conse-

se-

ſecrativa. Secundum verò eſt omne inſtans, in quo emittitur, & hoc verè mutatur. Sicut ergo enunciatio Chriſti, quam emiſit in cœna, non eſt numero eadem cum hac noſtra, ſed tantùm ſpecie, ideoq. non mutat ſenſum &c. Ita non eſt eadem ſpecie quoad inſtantia, quibus emittitur, nec tamen mutat ſignificationem. Quocirca enunciatio Chriſti emiſſa in eo inſtanti a. reddebat hunc ſenſum. In hoc inſtanti a. verè interit materia &c. in ejuſque vicem ſuccedit Chriſtus. In inſtanti autem b. c. d. o. s. t. &c. ſignificat ſic. In hoc inſtanti b. verè interit materia &c. in ejuſque vicem ſubit eàdem ratione Chriſtus. Quæ ſanè propoſitio alia eſt; non ratione verborum, & ſenſus in Sacramenti ſubſtantia requiſitorum: ſed ratione inſtantium, quæ connotantur, & ſuccedunt. Cum quo tamen manet, ut eundem ſortiatur, & ſortitura ſit effectum.

Dico 2. enunciationem Chriſti conſecrativam nec mutare inſtantia temporis, cui ſucceſſivè coexiſtit, Chriſtus enim dum conſecravit extendit verba ſua in omne tempus; adeout iis inderet vim, non uni tantùm inſtanti, quo conſecrabat, alligatam; ſed omnibus in æuum ſucceſſuris. Idcirco ſi hodie Mini-

ſter conſecret, repetendo Chriſti enunciationem, hæc neque mutatur quoad inſtans verbo connotatum. Inſtans enim, cui hodiè coexiſtunt verba Sacerdotis, unum eſt ex iis, quæ Chriſtus intendebat, cùm conſecraret.

DISQVISITIO QVARTA

Vtrùm enunciatio de futuro contingenti determinatè vera ſit, aut falſa.

PRo intelligentia dividenda ſunt duo genera effectuum, hoc eſt in neceſſarios, & contingentes. Vocantur neceſſarii, quos cauſa neceſſariò emittit; cujuſmodi ſunt motus reſpectu ſiderum; combuſtio quoad ignem &c. Quidam verò manent ſubiecti contingentiis, & ſunt ii omnes, ad quos agentia dicuntur eſſe libera; ut ſcribere, orare, audire ſacrum, & quæcunque ita fiunt, ut omitti etiam ex arbitrio queant.

Propoſitiones ergo de futuro neceſſario determinatam habere veritatem, ſolemnis eſt omnium ſententia. Redditur ratio, quia futurum neceſsarium in

in causa iam sua determinatum est. Quocirca si etiam actu non existat, enunciari tamen certò potest quòd sit futurum. Etenim si dicatur; *Mercurius die crastina erit Iovi oppositus*, enunciatio determinatè vera est, quia ex ritu astronomico esse ita eventurum certò scimus. Quòdsi è contra judicaveris, tunc erit assertum determinatè falsum, utpote quod rem necessitati annexam denegabit.

Quæstio trahitur ad futura contingentia. Nimirum; an siquis circa ea propositiones efformet contradictorias, enunciando v. g. *Cras Veneti ad Cydoniam certabunt: cras ad Cydoniam Veneti non certabunt*; una ex his determinatè sit vera; una determinatè falsa.

Ea in re Arist. 1. Periher. 8. constanter negat, huiusmodi enunciationes ita se habere, ut veritatem determinatè gerant, seu falsitatem; & hìc excipit doctrinam à se traditam circa contradictoria. Hoc etiam edocuit Cic. de Fato; innumerique sunt, qui huic sententiæ subscribunt; adeout ferè in adagium cesserit: *De futuro contingenti nec determinatam esse veritatem, nec falsitatem*. Attamen nobis arridet

CON-

CONCLUSIO

Enunciationes de futuro contingenti determinatè veræ, aut falsæ sunt.

PRobatur 1. testimonio recentiorum, qui hanc sententiam indubitatò sequuntur, & enixiùs tuentur. Secundò ratione sic. Ex duabus contradictoriis, una enunciatio determinatè vera est; atque una falsa: sed istæ; *cras Veneti certabunt*; *cras Veneti non certabunt*, sunt duæ contradictoriæ: Igitur unam determinatè veram esse; unam è contra determinatè falsam, citra dubium est. Major negari nequit ex doctrina etiam Arist. ut dudum scitis. De minori, quòd sit verè contradictoria, in comperto manet. Consequentia verò constabit ex dicendis.

Nam etiamsi certò nesciamus, quodnam ex his futurum sit cras; certamenne Venetum, an ejus negatio; attamen hoc certissimum est, crastina die futurum, ut Venetus aut decertet, aut non decertet. Ergo si certabit; enunciatio, quæ hoc asserit,

rit, determinatè vera eſt; quæ autem negat, determinatè falſa. Neque dicas, rem eſſe contingentiæ ſubiectam, ideoquè non habere actu determinationem, ut ſit, aut non ſit: ex quo etiam oriri, ut enunciatio nec vera dici queat, nec falſa. Contra enim eſt. Nam imò enunciatio de futuro contingenti habere nequit objectum, quod in ſe actu, ac determinatè ſit. Secus eſſet enunciatio de præſenti, non de futuro. Itaquè ſic argumentor. Certiſſimum eſt, quòd Venetus aut cras decertabit, aut non ita. Ergo qui hoc dicit, aut verum determinatè dicit, aut falſum.

Probatur 2. & confirmatur magis hęc eadem ratio. Demus v. g. enunciari à Deo propoſitionem de futuro libero: hæc certo certiùs veriſſima erit. Deus enim omnino ſcit, non ea tantùm, quæ neceſſariò, ſed etiam quæ contingenter eventura ſunt. Hoc dato, ſic arguo. Proferat Deus ita: *Cras Veneti certabunt ad Cydoniam*. Hinc verò aſſumat quis contradictoriam: *Cras Veneti non certabunt ad Cydoniam*. Enunciatio Dei veriſſima eſt. Ergo & contradictoria hominis omninò falſa. Probo conſequentiam. Hæc enim humana totum negat, quod affirmat Divina: ſed iſta ideo eſt vera, quia enunciat quod erit; ergo hu-

humana est falsa, quia negat quod erit. Neque dicas, Divinæ cognitioni determinatam inesse veritatem, quia Deus cuique rei contingenter futuræ jam præsens est; unde cognitio eius habet cum re conformitatem. Contra enim est. Nam hoc sicuti non vetat rem esse contingentem, ita non destruit veritatem enunciationis de contingenter futuro. Contra secundò; &

Probatur 3. assertio nostra. Quia enunciationes Prophetarum de obiectis contingenter eventuris determinatissimè veræ sunt. Ergo de futuro, quatenus futuro, datur veritas determinata. Probo consequentiam. Enunciatio prophetica est actu, ac determinatè vera in eo signo antecedenti, quo adhuc non est res, quæ dicitur eventura. Ergo de futuro contingenti, quatenus futurum est, datur veritas determinata. Convinco antecedens. Quia prædictio rei venturæ non constituitur à Deo cum re, aut coexistens rei, quam enunciat. Ergo est de futuro, ut futuro. Constat antecedens. Nam si Propheta enunciaret rem sibi coexistentem, dictio ejus iam non esset prædictio. Ergo rem intuetur quatenus futuram. Sed eius enunciatio determinatè vera est. Igitur de futuro con-

tin-

tingenti datur veritas determinata.

Probatur 4. Si quis Judæus cum Jeremia dixisset; *Hierusalem à Tito exscindetur*; eius dictum extitisset determinatè verum, quia obiectum utriusque contingenter eventurum, fuisset idem. Neque incirco Judæus verum dicens, propheta censendus est. Quamvis enim eius dictio sit vera, quia conformis obiecto; non tamen à Deo habet rei certitudinem, sicuti habet propheta. Igitur vera erit enunciatio eius, quamquam certa non sit. Convincitur. Si enim v.g. dicat cæcus; *jam dies est*: etiamsi hac de re non habeat certitudinem, quia non videt Solem; dummodo tamen sit iam dies, enunciatio verissima est. Igitur & siquis dicat, *Crastina die Vrbs exscindetur*; etiamsi quid sit futurum certò nesciat, eius tamen dictio aut conformis est, aut difformis obiecto eventuro, quod saltem Deus in suo signo videt. Ergo propositio de futuro contingenti, aut determinatè vera; aut determinatè falsa est.

Obiicitur 1. Arist. qui 1. Periher. cap. 8. docet, enunciationes de futuro contingenti etiam contradictorias; v.g. *navale bellum erit*; *navale bellum non erit*, nec veras esse determinatè, nec falsas. Ergo &c.

Di-

Distinguo antecedens. Non sunt determinatè veræ; ratione certitudinis, transeat; ratione conformitatis, negatur. Mens enim Arist. est, quòd enunciatio de futuro contingenti non habeat in se certitudinem, quamvis habeat cum re successura, sive convenientiam, sive disconvenientiam, vi cujus aut vera dicenda sit, aut falsa. Certitudo autem requirit, ut qui enunciat, ei etiam constet omnino de re, sicuti jam innuimus. Et quia de objecto contingenti, ut ut dari queat veritas, nemo tamen certus est, an sit verè futurum, ideo Arist. removit ab enunciatione veritatem, & falsitatem, quæ cum certitudine sit coniuncta. Præterea si dixerimus, & hoc Numen in ea re aberrasse, non video quà sacrilegii notà inurendi simus, aut quod teterrimum Ateistæ nomen, ob nimiam audendi licentiam, contrahamus.

Obiicitur 2. Enunciatio de contingenti successuro nequit ei gerere conformitatem. Ergo nec esse vera. Probatur antecedens. Nam quæ adhuc non sunt, revera non sunt. Quomodo ergo si res futura hodie non est, ei tamen conformabitur enunciatio? Igitur ea, neque vera, neque falsa censeri debet.

Nego

Nego antecedens, & distinguo argumentum. Obiecta contingenter futura non sunt in hoc signo, conceditur; in eventuro, negatur. Conformitas ergo enunciationis, aut est ad rem, quæ sit hodie; aut ad eam, quæ futura dicitur. Quamvis enim res eventura non existat hoc signo, adhuc tamen habet suum esse in futuro, & hoc saltem à Deo intuitivè cognoscitur. Satis autem est, si objectum, sive hodie, sive cras existat, ut enunciatio sortiatur cum eo conformitatem. Probo; quia nec res necessariò eventura, est die hodiernà; & nihilominus enunciatio circa eam dicitur vera. Igitur ut propositio habeat cum re conformitatem, non exigit rem esse hodie, aut in hoc signo.

Obiicitur 3. Si objectum est determinatè futurum, jam non manet contingens. Ergo ut sit contingens, non est certò, ac determinatè futurum. Convincitur antecedens. Enunciet quis v. g. *Socrates peccabit*. Hoc objectum si determinatè habet futuritionem, Socratis peccatum necessariò erit. Ergo non est contingens, aut liberum.

Distinguo antecedens. Erit necessariò necessitate antecedenti, nego; necessitate conseqnenti, concedo; &

nego

nego consequentiam. Dico igitur, non unam esse necessitatem, aut rei determinationem. Enimverò datur necessitas, aut determinatio antecedens; quam habet causa in priori naturæ, seu antequam emittat effectum, vi cujus necessariò in eum ibit. Sic ignis determinationem habet antecedentem, ut producat siccitatem; sol ut effundat radium &c. Necessitas verò consequens dicitur, quam habet res, dato jam quòd existat, sive agat. Sic v. g. cursus Petri, antequam is actu currat, non est determinatè, aut necessariò. Verùm concesso quòd se in cursum Petrus dederit, necessitatem habet currendi, neque tunc liber est ad non currendum. Prima determinatio tollit rebus contingentiam; non ita secunda. Etsi enim qui currit, in sensu composito nequeat non currere; attamen abstinuisset à cursu, dummodo voluisset. Objectum ergo enunciationis de futuro contingenti non est determinatum determinatione, aut necessitate antecedenti; nâm revera est de se contingens, ejusquè causa indifferens. Est ergo necessarium necessitate consequenti; eò nimirum, quia supponitur causa sese jam liberè ad eum movisse, in quo casu determina-

na-

natissimè futurum est . Quamobrem siquis heri enunciasset , hodie me differturum , ejus enunciatio determinatè fuisset vera ; quia verum est , me hodie vobis differere , ac determinatè habere sermonem . Determinatio verò hæc mea non est antecedenter coacta , sed arbitrariò volita ; etiamsi eà manente urgeat necessitas , ut ista etiam verè sit .

Obiicitur 4. Si enunciatio de contingenti futuro determinatè vera est , jam determinat ipsum antecedenter ; ergo frangit libertatem , & contingentiam . Ostenditur antecedens : nam si enunciatio est vera ; igitur & futurum necessariò erit . Imò idcircò est futurum , quia enunciatio vera est . Unde constat , veritatem hujusmodi afferre objectis necessitatem , ut sint.

Nego antecedens . Enunciatio enim non necessitat rem ad esse , quia non est causa rei futuræ ; imò dicitur esse vera , eòquod objectum futurum est , habetquè in signo suo existentiam , quæ saltem cognoscitur à Deo . Ad argumentum negatur consequentia . Non enim tenet : ideo futurum erit , quia enunciatio est vera ; Sed è contra : ideo enunciatio vera est , quia futurum

rum eris. Convincitur. Nam præscientia Divina non demit rebus contingentiam, quia cognoscat futura. Neque ideò futura sunt, quia Deus ea intuitivè attingat; imò quia erunt, & quidem arbitrariò, aut contingenter, ideo cognoscuntur, & cognitio eorum vera est. Hoc itaquè ut certissimum teneas, cognitionem de futuro contingenti antecedere istud tempore, non naturà. Nam etsi cognitio sit ante futurum, attamen non est causa ejus. Imò è contra; quia futurum erit, ideo cognitio, aut enunciatio vera est. Statuo te hujus rei assertorem. Dic, me argumenta tua enodaturum. Isthæc dictio si causa est rei futuræ, gratias quòd me coegeris bonum esse dialecticum.

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.

De Discursu.

QUæ solent revocari ad hanc Disputationem, ea maximè sunt. Ubinam essentia Discursus consistat. Quonam in genere causæ concurrant præmissæ ad conclusionem. Attingatne ista, dum infertur, objecta præmissarum. Quartò; an requirat cognitionem de bonitate illationis. Denique; utrùm dato assensu præmissis, cogatur mens ad conclusionem.

DISQUISITIO PRIMA.

Vbinam Discursus essentia consistat.

PRo intelligentia revocate huc definitionem syllogismi, ab Aristot. ut vidistis traditam. Ea enim dicebatur oratio, *in qua quibusdam concessis, aliud quid à concessis necesse est contingat, eò quod hæc sint*. Hinc manifestum est, discursum, sive syllogismum adæquatè sumptum diversos habere actus. Et exinde oritur

***

CON-

CONCLUSIO

Essentia syllogismi adæquata continet præmissas, & conclusionem.

PRobatur, quia syllogismus, ut in definitione jam tradita, est oratio, in qua concessa majori, & minori, necessariò sequitur conclusio. Ergò hic si adæquatè sumatur, dicit majorem, minorem, & conclusionem.

Probatur 2. & confirmatur antecedens ratio; quia syllogismus est discursus, nimirum progressus quidam ab antecedentibus in consequentia. Ergo adæquatè consideratus, tam bene dicit quæ antecedunt, ac quæ deinde sequuntur. Ergo dicit præmissas, & conclusionem.

Probatur 3. Tot enim sunt actus in discursu, quot objecta distincta, quæ attinguntur: at hæc sunt omnino tria. Ergo &c. Major manifesta est. Minor etiam ostenditur. Primò enim adest connexio unius extremi cum medio. Secundò alterius extremi cum ipso. Tertiò connexio extremorum inter se, sive mutua. Sed ea omnia

nia tribus verè actibus conficiuntur; majori, minori, & conclusione: igitur discursus in his adæquatè consistit.

Obiicitur. Conclusio nascitur à discursu. Ergo non ingreditur essentiam ejus. Probatur consequentia; nam effectus non est actu, & essentià in causa.

Distinguo antecedens. Nascitur ex discursu inadæquatè sumpto, conceditur; adæquatè, hoc negatur. Ergo non ingreditur essentiam discursus, nego consequentiam. Itaque syllogismus aut sumitur quoad præmissas tantùm, & sic dicitur inadæquatus; in eoquè statu est causa conclusionis, quia eam gignit. Sin verò adæquatè sumatur, dicit quoquè conclusionem; & sic non est causa istius, ne idem esse sui causa dicatur.

Obiicitur 2. Ex hoc antecedenti; *Petrus est homo*, bene infertur, quòd sit etiam *sensitivus*. Verùm hic est discursus, & non dicit præmissas, majorem, atque minorem. Ergo &c.

Distinguo. Hic est discursus, & non dicit majorem, nec minorem; ore tenus, conceditur; in mente, hoc negatur. Si enim ex eo quia est homo, deducis Petrum sentire; jam

jam hoc tenes in mente, quod *omnis homo sentit*. Ergo in mente jam habes majorem.

DISQVISITIO SECUNDA.

Quonam in genere causæ præmissæ concurrant ad conclusionem.

PRo intelligentia tenendum est, præmissas quodammodo concurrere ad conclusionem. Siquidem si hæ non essent in mente, haudquaquam conclusio deduceretur. Quæstio autem est, utrùm ad eam præbeant concursum effectivè, actu, verè, ac physicè causando; an tantummodo illuminativè, obiectum merè ostendendo, ut mens deinde sit, quæ in effectum se mittat.

CONCLUSIO

Præmissæ concurrunt ad conclusionem, non effectivè, sed illuminativè tantùm.

PRobatur; quia non adest necessitas, ut effectivè concurrant. Ergo &c. Ostenditur antecedens. Nam intellectus naturà suà discursivus est. Ergo si à præmissis tantùm regatur, eique objectum, seu connexio extremorum facta cum tertio exhibeatur, ibit naturà suà in conclusionem.

Confirmatur; quia præmissæ ita videntur ad eam concurrere, sicuti v.g. radius cum oculo ad visionem. At iste non dicitur efficere actu visum; ergo nec præmissæ actu, & verè conclusionem. Itaque mens tantùm exhibebit concursum.

Probatur 2. Quia officium actus non est concurrere ad actum; nec enim actus a. effectivè gignit actum b. Ratio est; nam sibi assumeret munus potentiæ, non maneret in genere actus. Cùm ergo major, & minor, quæ duo sunt actus, habeant hoc, ut

ut merè objectum exhibeant, irradientquè mentem, ut cognoscat extremorum cum tertio identitatem; satis hoc est, imò nec majus quidquam exigitur, ut mens descendat in conclusionem.

Obiicitur 1. ex Aristot. 1. Poster. 1. Major, & minor dicuntur esse in intellectu, non causæ quomodocunque, sed efficientes. Ergo concurrunt effectivè ad conclusionem.

Nego consequentiam. Nam etsi premissæ reducantur ad genus efficientium, non sequitur ex eo, ut actu efficiant conclusionem. Convincitur; quia etiam ad hoc genus attinent causæ morales, & scimus tamen eas non attingere actu effectum, sed movere causam, quæ attingat ipsum. Itaquè major, & minor etiamsi revocentur ad genus efficientium, non concurrunt actu ad conclusionem, sed merè juvant potentiam, ut hęc faciat, deducat, concludat.

Obiicitur 2. Accidentia, quę disponut materiam ad formam, dicuntur à Physicis causæ materiales. Igitur & major, & minor, quę juvant mentem, ut deductionem efficiat, vocandę sunt efficientes.

Nego consequentiam. Imò cùm

accidentia, utut dicantur causæ materiales, verè in se non recipiunt formam; ita nec major, nec minor actu concurrunt in deductionem. Quocirca si eas dicat quis attinere ad efficientem, dictio erit non congrua.

Obiicitur 3. Major, & minor actu effectivè gignunt sui speciem; ergo nil obstat, quin & in mente gignant actum deductionis.

Nego consequentiam. Primò; quia necesse non est, ut eam efficiant. Secundò; quia minus est efficere speciem sui, quàm emittere à se actum. Tertiò; quia efficere indicat causam sese ab intrinseco moventem. Actus verò non est causa mota, sed motus, qui non efficit motum.

DIS-

DISQVISITIO TERTIA

Vtrùm conclusionis actus attingat objecta præmissarum.

PRo intelligentia memineritis quæ ante dicta sunt; in discursu tria omnino interveniri objecta, juxta quæ trina etiam formatur enunciatio. Rursus hæreat animis, quodnam sit officium conclusionis. Non enim est, nisi connectere duo extrema, quæ jam connexa sint cum tertio in premissis. Hoc dato, nascitur quæstio; actus ne iste conclusionis attingat extrema tantùm, quę connectit; an & objecta pręmissarum, seu eadem extrema ut jam connexa cum tertio? V.g. si emanet syllogismus: *Homo est sensitivus; Petrus est homo; ergo Petrus est sensitivus*: Quęritur, an ista deductio attingat *Petrum*, & *sensitiuum* tantummodo; an cognoscat iterum objecta majoris, atque minoris jam cognita, sic: Ergo Petrus est sensitivus; *quia est homo*; & *omnis homo sensitivus est*.

CONCLUSIO

Actus conclusionis non attingit objecta præmissarum.

PRobatur; quia res est manifestissima, nos cùm emittitur conclusio, non remeare tunc ad objecta premissarum. Ergo &c. Quamobrem si ea fiat argumentatio; *Quicunque homo est sensitiuus; Petrus est homo; ergo sensitiuus*, In hac deductione (si res bene attendatur) non cognosco sic: ergo *Petrus* est sensitiuus; *quia est homo, & quicunque homo sensitiuus est*. Imò siquis ita reflectat, non sine quodam nisu, aut machinamento id prestabit. Ergo hec deductio non attingit objecta majoris, aut minoris; quæ actibus antemissis ita supponit cognita, ut ea iterum cognoscere nulla urgeat necessitas.

Probatur 2. Nam si modo jam dicto emitteretur conclusio, frustra essent premissæ in mente: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Convinco majorem. Ideo enim major, & minor antecedunt in mente, quia debet fieri extremorum connexio cum tertio: sed hanc eandem faceret

ceret conclusio ; ergo pręmissę inessent frustra . Minor constat . Nam deductio foret ista : ergo Petrus est sensitivus , *quia omnis homo est sensitivus* (ecce connexio unius extremi cum tertio) *sed Petrus est homo* (ecce connexio secundi extremi cum ipso , eodemquè tertiò) Igitur conclusio faceret munus pręmissarum.

Probatur 3. quia medius terminus ingredi nequit conclusionem ; secus enim hęc non differret à majori , aut minori : at si attingeret obiecta præmissarum, medius terminus ingredereretur conclusionem ; ergo &c. Probo minorem; quia medius terminus verè totus est in utraque pręmissa: sed hanc utramque attingeret conclusio; ergo attingeret & medium terminum.

Obiicitur 1. Asentimur conclusioni ob pręmissas . Igitur hęc tangit objecta istarum . Distinguo . Asentimur ob præmissas ante cognitas , concedo; cognitas eodem actu conclusionis, negatur. Satis ergo erit, ut vera fiat deductio , si major , & minor ante cognoscantur ; imò nec majus quidquam exigitur.

Obiicitur 2. Conclusio differt à mera enunciatione: sed hoc est, quia tangit objecta pręmissarum ; Ergo

&c. Major ostenditur. Nam dicere: *Franciscus est homo*, mera est enunciatio. Si verò enuncies: *Ergo est homo*, manet conclusio. Minor etiam probatur. Etenim cùm dicis: *ergo est homo*; vox ista *ergo* innuit rationem, cur dicatur esse homo: sed hęc ratio non est, nisi quia *Franciscus*, & *homo* connectuntur cum tertio; igitur actus iste attingit obiecta præmissarum.

Nego consequentiam. Ratio est, quia discrimen conclusionis ab enunciatione totum est in modo, quo ea infertur ex ante cognitis. Conclusio enim cognoscit consecutivè, hoc est ex actibus antecedenter emissis; non immediatè, ac primò ut facit mera enunciatio. Itaque vox *ergo*, est nota quòd ex connexione duorum cum tertio sequitur cognitio connexionis eorundem. In hoc autem casu bene vides, quàm non sit necesse, ut ea extrema connexa cum tertio, iterum attingantur.

Instas. Cùm quis deducit; *ergo Franciscus est sensitiuus*, tunc verè scit rationem, cur ita deducat: Verùm hęc ratio non est, nisi quia *omnis homo est sensitiuus*, & *Franciscus est homo*: ergo in eo actu cognoscit hęc omnia, quæ sunt vera objecta pręmissarum. Confirmatur. Nam eo in-

inſtanti, quo videt oculus objectum, attingit quoquè radium; nec ſat eſt, ſi radius iſte anteceſſerit, ut nunc videat. Ergo nec ſat eſt, majorem, atque minorem prçceſſiſſe, ut mens inferat concluſionem. Igitur dum hçc infertur, attinguntur etiam & major, & minor, ſeu obiecta earum.

Diſtinguo minorem. Ratio, cur ita concludat, eſt *quia omnis homo eſt ſenſitivus, & Franciſcus eſt homo*; itaut cognoſcatur id actu concluſionis, nego; actibus ante habitis, concedo; & nego conſequentiam. Mens ergo noſtra dum concludit, ſanè facit id ob rationem, ſivè motivum, quo ducitur. Hoc autem eſt, quia vidit connexionem duplicis extremi cum tertio; unde cùm ſit diſcurſiva, ex antecedenti cognito currit ad conſequentis cognitionem. Inſtantia ex radio non congruit. Non enim oculus diſcurrit; neque rem deducit à re; unde ita fertur in objectum, ut hoc, radiumquè unà, & indiſtinctim attingat. Mens verò humana diſcurſiva eſt, uniuſque ab alio deductiva; & facit deductionem, ubi jam attigerit prçmiſſas, tanquam deducendi motivum. Itaque ſi mens dum infert *ergo Petrus eſt ſenſitiuus*, cognoſcat etiam *Quia omnis homo eſt ſenſitiuus*, & *Petrus eſt homo*, hi ſunt novi actus

arbitrariò emissi; non una, & mera conclusio.

DISQUISITIO QUARTA.

Antequam conclusio inferatur, utrùm debeat esse nova cognitio de bonitate illationis.

PRo intelligentia tenendum est, conclusionem non deduci unquam, nisi antea præmissæ sint in mente, imò nisi etiam ritè coordinentur. Nascitur autem quęstio, an dum quis habet pręmissas ita digestas, novum quoquè habere actum debeat, ut antequam inferat conclusionem, videat, istane ritè casura sit: An verò habitis jam pręmissis, & omni remotà nova cognitione, satis hoc sit ad bene concludendum.

CON-

CONCLUSIO

Nonnunquam, ut inferatur conclusio, requiritur cognitio de bonitate illationis; etiamsi non ita semper.

Convincitur; quia nonnunquam contingit, majorem, & minorem eo instanti, quo fiunt, non omnino, & intimè cognosci; unde mens etiam nutare consuevit. Cùm in iis ergo manifestè non videat conclusionem, nescit an ritè se gerat eam deducendo. Itaquè tunc requiritur nova cognitio, & meditatio, quę pręmissas attentiori modo invadat, & inferat ex eo conclusionem.

Confirmatur in modis Figurarum indirectis. Ut enim deductio inversa fiat, non satis est habuisse in mente pręmissas, nisi & sequatur nova cognitio de conversione juxta dogmata Summulistarum. Igitur nonnunquam contingit necessitas hujusce novi actus de bonitate illationis.

Probatur etiam secunda pars Enimverò scimus, inter argumendum non semper nos intuieri ad hanc bonitatem. Quod si contingeret; mens nostra diutiùs hæreret, subsisteret, immoraretur. Deberet enim attendi & figura, & modus, & ratio pręmissarum, & medii termini œconomia quænam sit &c. Hęc autem omnia certè à nobis non nisi rarò fiunt.

Confirmatur; quia mens cùm sit jam irradiata pręmissis, maximè dum certæ, immediatæ, ac necessarię sunt; cognoscit satis extremorum cum tertio connexionem; ex eaquè, sine novo actu de bonitate conclusionis, rem totam deducit. Ergo actus iste non ubique ut necessarius interesse debet.

Obiicitur 1. Siquis in mente habeat pręmissas ritè digestas, videt extrema connexa cum tertio: sed jam naturà constat, ea quoquè inter se connecti, quæ ita connectuntur; ergo non requiritur actus nuper adveniens, antequam conclusio deducatur.

Concedo totum, si res evenerit, ut dictum est. Hinc tamen non oritur, ut nonnunquam actus iste interesse non debeat; quoties pręmissę in obscuro sunt; quoties deductio inver-

sim

ſim fit; quoties medium non conſtat eſſe ritè diſtributum &c.

Obiicitur 2. Si hæc nova cognitio de bonitate illationis nonnunquam exigeretur, ad hanc ipſam nova etiam, & ad iſtam nova quoquè ac nova intervenire deberet. Quo enim modo conſtaret, cognitionem eſſe veram, & certam, niſi hæc per aliam cognoſceretur? Ergo jam abiremus in infinitum.

Nego antecedens. Non enim nova cognitio intervenire debet cognitioni reflexę, quoties iſta rem benè, maturè, atque diſtinctim attigerit. Quemadmodum v. g. ut videamus obiectum, neceſſe quidem eſt intereſſe radium; verùm ad hunc quoquè radium non requiritur novus, novuſquè, ut ipſe videatur.

DIS-

DISQVISITIO QVINTA.

Vtrùm assensus præmissarum necessitet ad conclusionem.

PRo intelligentia dividenda est necessitas in eam, quæ dicitur *specificationis*, aut *contrarietatis*; & in eam, quæ vocatur *exercitii*, seu *contradictionis*. Prima est, qua nobis datur omittere quemcumque actum; si tamen agere velimus, cogimur ad sic agendum, ut actum contrariæ speciei facere nequeamus. V. g. siquis amet quid bonum, & habeat etiam in se non amare; tamen nequit odisse; atque sic necessitatur ad amorem necessitate *specificationis*. Necessitas verò exercitii est, quæ cogit omnino ad actum, itaut iste omitti non possit. Sic Beatus v. g. necessitatur ad amorem Dei, quia tanto lumine circumfunditur, ut Deum & videat, & se optatissimà necessitate trahi sentiat amatorem. Ita oculus dummodo sit apertus, & radio affusus, cogitur intueri objectum &c. Dato igitur majoris, atque minoris assensu, queritur an mens no-

nostra necessitetur ad conclusionem; imò si hoc est, quanam necessitate cogatur.

CONCLUSIO

Dato majoris, & minoris assensu, habet mens necessitatem specificationis, & exercitii ad conclusionem.

OStenditur, quia concessà utràque premissà in forma, conceditur nexus duorum extremorum cum tertio. Ergo si mens quiret etiam omittere conclusionem; non tamen actu negare potest, ea inter se habere identitatem. Ergo ad hoc necessitatem gerit *specificationis*. Convinco antecedens. Nam si mens videat aliqua duo esse idem cum tertio, nequit arguere in contrarium, dicendo; *ergo inter se non sunt idem*. Secus negaret, quod ante concesserat; ea nimirum esse idem cum tertio. Simili ferè modo, quo v. g. si adsit homo, aurum, arbor; dato etiam quòd non judicet quis, esse hominem, aurum, arborem; attamen nunquam poterit emittere actum huic

huic veritati contrarium, negando hunc esse hominem &c.

Ostenditur etiam secunda pars, quoad exercitii necessitatem. Mens etenim nostra est agens necessarium; & si habeat quę habenda sunt, nequit suspendere actum. Sed concessà majori, & minori, adsunt jam omnia, quæ necessaria sunt ad conclusionem; ergo ad istam necessitatur. Major est certa. Nam si objectum occurrerit menti, non potest mens non cognoscere; quemadmodum nequit oculus non videre, si rem ante se habeat sufficienter exhibitam. Minor ostenditur. Concessis enim majori, & minori, *tertium quid contingere necessum est*. Ergo dato pręmissarum assensu, sequitur necessariò & conclusio. Constat hęc veritas, quia visà connexione duorum cum tertio, nequit non judicari connexio eorumdem. At hoc judicium est vera conclusio; ergo mens cogitur &c. Eo igitur modo, quo frustra inhiberet quis visionem, dato & objecto, & oculo apposito, quia virtus visiva est agens necessarium; ita concessis & majori, & minori, nequit mens non exire actu in conclusionem.

Obiicitur 1. Mens nostra subiicitur arbitrio; & ideo voluntas humana

mana dicitur ab Ariſtot. omnium Regina, & Domina. Ergo ſi hęc jubeat, mens reiiciet quemcumque actum.

Nego conſequentiam. Senſus enim Ariſtot. eſt, mentem ſubiici quidem voluntatis dominio, ſed tamen circa objecta, quæ in obſcuris verſantur. Datis autem, & majori, & minori, non manet obſcura concluſio, nec inhiberi quoquo modo poteſt. Sicut ergo nequit viſus non fieri, dato & objectum eſſe ſatis exhibitum, & oculum quoquè apertum; ita &c.

Obiicitur 2. Voluntas dominatur virtuti motivæ, ut ſe nunc cieri motu ſinat, nunc renitatur; ergo & mentem jubebit modò inferre concluſionem; modò non ita.

Nego conſequentiam. Diſcrimen eſt, quia virtus motiva non habet à quo ſibi determinet motum, niſi voluntatem. Sed mens habet rei evidentiam, qua trahitur in aſſenſum, etiamſi contra niteretur arbitrium, atque obſtaret voluntas.

Obiicitur 3. Ex majori, & minori conceſsà diverſæ fiunt deductiones, ut in *Barbara*, in *Baralipton* &c. Ergo mens juberi debet, ut hoc magis, quàm diverſo

modo

modo concludat ; ergo etiam juberi poterit , ut omnino se ab actu removeat.

Distinguo consequens. Debet mens juberi , ut inferat hoc modo potiùs , quàm diverso ; si versetur circa obscurum, concedo ; si è contra, negatur. Mens ergo ex majori , & minori communi affirmativa semper deducet in *Barbara* ; nam ex se , atque naturà suà sequitur hęc deductio , & communis, & affirmativa . Quòdsi etiam inferat in *Baralipton* , ad hoc fortasse juberi debet, quia ex majori , & minori jam dicta non statim occurrit modus iste sic deducendi , sed manet obscurus . Quòdsi attentione adhibità , constiterit & in hoc modo conclusionem ritè haberi, tunc mens trahetur ad istam , neque indigebit imperio , quo ad inferendum cogatur.

DIS-

DISPVTATIO
QUARTA

De ſyllogiſmo demonſtrativo, & ejus effectu, qui eſt ſcientia.

QUæ dicta ſunt hucuſque circa humanę mentis ratiocinium, ea decent ſyllogiſmum in communi ſumptum. Hìc verò eximius omnium, qui vocatur Demonſtratio, brevi occurrit conſiderandus; & maximè quoad ſuum effectum, qui dicitur Scientia. Ex quo etiam bene continget œconomiæ noſtræ, cujus erat munus exhibere tandem Logicæ curſum in ſcientia omnino exactum, & in vocibus denique oſtenſum.

Definitur ergo Demonſtratio ab Ariſtot. 1. Poſt. cap.2. Ratiocinatio, quæ ſcientiam efficit; ſeu Argumentatio, quæ facit ſcire: aut demum *Syllogiſmus, ex veris, certis, primis, immediatis, ex ſe notis,* & *cauſis concluſionis*. Ex qua noviſſima definitione dubia quędam ſuborta ſunt, quibus hìc

hìc solutionem suam brevissimè apponimus.

Dividitur autem Demonstratio in *Propter quid*, seu à *priori*; & in *Quia*, sive à *Posteriori*. Ea est cùm ostendimus effectum ex causa sua. Ut v.g. deficientiam Lunę ab umbra terræ, quæ in eam porrigitur; Dei ęternitatem ab ejus immutatione: hominis admirativitatem à natura ejus &c. Ex quo discimus, ad veram Demonstrationem sufficere, ut inter causam, & effectum sit etiam mera distinctio metaphysica, sive rationis. Demonstratio *Quia*, seu à *posteriori* est, qua è contra ostendimus causam ab effectu. V.g. cùm ex fumo demonstratur esse ignis; ex die ostenditur esse Sol; ex admiratione convincitur esse quis homo &c.

Sed hìc adverte, non omnem causam, seu effectum quemcunque satis esse ad veram demonstrationem. V.g. non argueres demonstrativè sic: *Franciscus habet potentiam ad risum; ergo ridet*. Sive ab effectu: *Hìc adest frigus; ergo nix*. Debet igitur assumi pro demonstratione causa, & effectus, qui convertantur ad invicem; hoc est, quorum unus inferatur ab alio, & è contra. Ita v.g. in necessariis: *est homo*; *ergo est admirativus*. *Est admirativus*; *ergo est homo*. Ita in con-

contingentibus: *Datur visio; ergo res visa*: *Datur res visa; ergo visio*. Ita in physicis: *obscuratur Luna*; *ergo terra interiacet*: *interiacet terra; ergo Luna obscuratur* &c.

Porro Demonstratio *Propter quid*, nimirum exactissima, gerit majorem, & minorem, quæ sint certæ, primæ, immediatæ, natura sua notæ, de se, atque causæ conclusionis. De hisce omnibus hìc statim, & summatim.

Primò igitur esse debent veræ: Nam si utraque, aut saltem una vera non sit, non inferes demonstrando. Hìc autem mos est eam agere quęstionem; an præmissæ sint conclusione veriores. Cęterùm quia veritas non assumit magis, aut minus, constat ex dudum visis, quid hac de re maneat dicendum.

Secundò esse debent certæ: Nam si haberent incertitudinem, nequiret mens firmiter iis adhęrere; quinimo nutaret dubitando, & sic non concluderet sine metu in oppositum. Agitatur & hìc secunda quæstio: Utrùm major, & minor sint æquè certæ, ac sit conclusio. Videtur sic esse dicendum. Certitudo enim non est, nisi mentis adhęrentia, ob motivum rei certum, & evidens, aut in se, aut in causa: sed non majus est motivum

ad-

adhærendi majori, & minori, quàm conclusioni (nam ista manifestissimè ostenditur in præmissis) ergo &c.

Tertiò esse debent primæ, ac immediatæ, adeout non egeant demonstrari ex antecedentibus. V. g. quamvis hæc præmissa; *homo est admiratiuus*, demonstrari queat ex virtute ratiocinandi; attamen ut assumitur in argumento, est de se tam manifesta, ut ostendi non egeat, seu inferri ex ea; & sic assumitur, ut prima, immediata, indemonstrabilis.

Quartò esse debent notæ: Ad hoc enim ut demonstrativè argumentemur, opus est innotescant enunciationes, quarum usu demonstrativè ratiocinamur. Tribus autem modis innotescit res. Primò in se tantùm; ut v. g. æstus maris, qui se nobis quidem ostendit, sed ejus causa ignoratur. Secundò in signo tantùm; ut existentia Dei, quæ in se non cognoscitur, sed in creaturis. Tertiò in se, atque in signo; ut v.g. totum est majus parte suà. Quovis modo notæ sint major, & minor, habetur Demonstratio; sed in tertio nobilissima est.

Quintò esse debent ex se: nimirum tales, ut attributum naturà suà conveniat subjecto; etiamsi hoc necesse

in

in rigore non ſit. Nam iſthęc etiam demonſtratio eſt. *Petrus currit; ſed Petrus eſt hic homo; ergo hic homo currit.* Senſus ergo fit de illa Demonſtratione, quæ omnium eſt perfectiſſima.

Sextò eſſe debent cauſa concluſionis; mentem irradiando, eique connexionem oſtendendo, quam habent cum tertio; ut ipſa deducat, inferat, arguat eorundem quoquè inter ſe identitatem.

Habitæ ſic major, & minor, ſtatim gignunt effectum ſuum, qui eſt ſcientia, ſeu cognitio certa, & evideos rei per cauſam. Hìc autem nonnullæ oriuntur quæſtiones, digniſſimę quidem ſcitu, & quæ noſtram eruditionem fortaſsè non minimùm augebunt. Eę ſunt præſertim duæ: Altera circa ſcientiæ naturam, de qua Veteres, ac Neoterici tam diverſa tenent. Secunda verò de fide, atque opinione, quas in intellectu cum ſcientia quidam autumant coire circa idem objectum; & quidam omnino inficiantur.

DIS-

DISQUISITIO PRIMA.

De scientia, Vtrùm in nobis de novo acquiratur.

PRo intelligentia faciunt ea, quę dudum tetigimus circa veterum commenta de insità nobis notionum ideà. Summus enim rerum Artifex, ajebat Plato, cùm animas hominum condidit, eas quoquè ita notionibus cumulavit, ut omnium in se artium imagines deferrent. Sensisse tamen oblivionis damna, cùm hisce corporibus immersæ, rudi hac materià coerceri, & cognitionibus abstinere suis coactæ sunt. Nihilominus adhuc in iis ea semina ita vigere, ut quacunque datà occasione forinsecus excitante, anima nostra exire valeat in actus earum artium, quarum species ab initio infusas habuit, ac retinuit.

Hinc Plato, & Sectatores arbitrati sunt, non acquiri à nobis artem, aut scientiam de rebus, quæcunque occurrerint; sed reminiscentiam. Non secus ac ii faciunt, qui rerum ante cognitarum obliti cùm sint, eas iterum recordantur, quoties aut

ma-

magiſter, aut quęvis occaſio conſopitam iconem, ſiue imaginem monitu, & recordatione ſuſcitat.

Quamobrem videri non debeat mirum, ſi neſcioquis Puer à Socrate interrogatus de re, nunc medica, nunc geometrica, tam bene reſponderit, quàm ſi ſtudium hiſce artibus diutinum collocaſſet. Ex quo inferunt, quidquid ſcimus circa phyſicam, arithmeticam, mathematicam, aſtronomicam, & hujuſmodi, non eſſe in nobis de novo comparatum, ſed ex quadam oblivione rurſus ad mentem reuocatum.

Verùm omnia hæc quàm ſint ex commentibus orta, uniuerſa Doctorum ſchola jam nouit. Quamobrem non videtur eſſe tantopere ſatagendum in hujuſce doctrinæ confutatione, quam & innumeri, & omnes bonæ mentis Viri omnino reiiciunt; illud juremerito ſtatuentes, acquiri de nouo ſcientias, humanamquè animam ope ſenſuum eas condere ſibi artes, atque doctrinas, quæ dietim non ſine commodo, & ornatu efflorere in nobis videntur.

CONCLUSIO

Datur scientia rerum de novo acquisita.

PRobatur auctoritate omnium, qui Platonis & reminiscentiam, & ideas reiiciunt. Secundò ex Job cap. 38. v. 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* Itaque non ab initio infusæ sunt rerum ideæ hominibus, aut notiones artium, ad quas anima nostra dicitur esse tanquam tabula rasa, ne minimà quidem notà depicta, quousque cognitiones rerum, adhibito studio, & conatu, sibi conficiat.

Probatur 2. ex testimonio D. Aug. qui factus jam senex, cùm doctrinas attentiori examini revocaret suas, commenta hæc Platonis, cui ajunt suffragium dedisse, omnino abegit. Inquit enim. *In disciplinis liberalibus eruditi sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc improbo. Credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æter-*

næ,

æ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt; non quia ea noverant aliquando, & obliti sunt, quod Platoni, & talibus visum.

Probatur etiam ratione; quia res est ultra omnem dubitationem, studia hominum invexisse artes de novo; imò & jam conari eà, quæ tam bene communi commercio, & commodo inserviunt. Nautica, Geometrica, Typica, Medica, sine dubio inventa sunt eorum, qui lentà usi studiorum patientià res aut nunquam scitas excogitarunt, sive à majoribus initiò invectas, additâ majori luce, mirum in modum auxerunt.

Probatur 2. Nam humana scientia si mera est recordatio, aut reminiscentia, quis eam Dux omnium refodit, & quasi dormientem in animis excitavit? Undenam ille, qui de numero, de musica, de motu astrorum, de natura figurarum habuit mentionem? Unde, inquam, omnia hęc accepit, ut eadem in cœterorum mentibus adsuscitaret? Nam si ea marte suo recordatus est, cur & cœteris tam bona sors non contingit? aut si ab alio movebatur ut reminisceretur, à quo tandem & ille auctor provocatus fuit?

Probatur 3. Si enim v. g. Cicero

quidquam novi non adinvenit; ergo tot verborum notas, tot phrasium structuras, tot elegantiarum ideas, tot argumentorum series, quot scimus in Romano Foro adhibuisse, jam tenuit congenitas; deinde factus eorum obliviosus, debuit expectare oratorem, à quo tentatus, & quodammodo excussus, tam miram sumeret recordationem. Ita omnino Euclides à natura sic edoctus fuisset, ut ne minimam geometrici studii operam suo ingenio conatus diceretur. Cumque in omni stemmate, aut figura sexcentæ sint virtutes, atque passiones, horum omnium ideis absque merito, aut encomio suo extitisset donatus. At verò quis eum inter hæc obdormientem antecessor Geometra excitavit, ut iterum sciret, seu recordaretur? Ergo dicendum est, scientiam geometricam, oratoriam, cœterasque sibi homines effecisse, mox etiam auxisse, non verò habuisse, aut insitas, aut à natura donatas.

Probatur 4. sic. Revera in nobis negari non potest idea quædam, hoc est insita communis quędam cognitio, virtute cujus attinguntur objecta etiamsi ea sint sensibus incognita. Sic omnino cognoscimus virtute innatà, Deum esse increatum, esse im-

immensum, esse à materia immunem; etiamsi sensus nostri numquam attigerint, sive immensitatem, seu æternitatem &c. Quinimò ex hac virtute nobis datà corrigimus etiam quidquid sensus errant. Quocirca bene scimus, non esse punctum verè mathematicum, non esse lineam, non esse rotundum, quæ fiunt in materia; etiamsi hęc omnia sensui nostro ita esse videntur. Attingimus etiam res, quæ dicuntur abstractæ, metaphysicæ, in gradus resectæ; cum tamen sensibus numquam occurrerint, nisi quæ sunt concreta, physica, & identica. Ex quo vides, non omnino, ac in toto rigore standum esse axiomati, quod jactitant: *si quid est in mente, totum hoc antea extitisse in sensu*. Et hinc S. Doctor q. de Magist. a. 1. ajebat: *Vniversales conceptus, quorum cognitio nobis est à natura insita, esse quasi semina quædam omnium sequentium cognitionum &c.* Nimirum, eam inesse nobis virtutem cognoscendi, quæ instar seminis ad novas, novasque cognitiones, & quidem scientificas, egregiè inservit. Ex quo vides, ab insita nobis virtute cognoscitiva, potiùs argui acquisitiones artium, atque scientiarum.

Probatur 5. de iis etiam notionibus,

quæ in nobis excitantur ministerio sensuum ; & circa istas verum est axioma , quo *dicimus non esse quidquam in mente , quod antea in sensu non extiterit* . Quis enim cogitatu suo attigit unquam v.g. iridem , nisi viderit iridem ? quis Leonem huc Athenis devectum , nisi eum sit antea intuitus ? Quis hanc urbem , hunc civem , hanc gentem , nisi hęc omnia priùs inciderint sensibus ? Mirum verò est , quot scientiæ , quot artes , ex bono sensuum usu acquisitæ jam sint. Hinc vacui notitia , hinc nova siderum genitura , hinc soni ex motu aeris , hinc tincturæ à radiorum ictu, hinc lux corporea , hinc odorosa substantiæ transmissio , & hujus generis verè innumera sunt , quæ nobis ad physicam , genuinamque naturæ cognitionem miro modo suffragantur . Ex quo etiam ortum duxit ea Senecæ hortatio epist. 33. *Ne inventis contenti simus . Non enim tota exhausta veritas est . Imò futuris nova , & nova restant scienda* . Ex quo bene scis , non omnia esse nobis à natura insita , & maximè si de singularibus fiat sermo , quorum nationes ab usu , & ministerio sensuum haurimus . Acquiruntur ergo scientiæ de novo.

Sed tamen obiicitur . Insita est cuique cognitio rerum , & ideo ajebat

bat Cic.3. Tusc. *semina quædam virtutum nostris inesse ingeniis*, quod etiam innuebat S. Doctor, ut dictum est. Satis ergo erit, si hęc semina, sive cognitiones à quoppiam extrinseco suscitentur, ut exeant, non ut de novo efficiantur. Quamobrem si etiam quis nutriatur in nemoribus, à magnitudine tanta creaturarum excitus, cognoscit quidquam nunc circa Deum, nunc circa se, nunc circa virtutes, distinguendo inter ea, quæ bona sunt, quæ mala; quæ mętorem creant, quæ gaudium; quæ justitiam ferunt, quæ injustitiam &c. Igitur cum res hujusmodi non se insinuent per sensus, consequitur esse insitas cuique à natura, nec egere nos, nisi ut in nobis excitentur.

Resp. hęc omnia vera esse, si de communi quadam virtute cognoscitiva sermo sit; non ita, si de cognitionibus rerum singularium sermocinemur. Hanc verò cognitionem, sive cognoscendi potentiam vocant iuremerito, & Cicer. & S. Doctor *semen*. Nam sicut in semine non concedis tu eam omnino segetem, quæ tibi toto Autumno egerminat, sed meram generandæ rei virtutem; ita &c. Rogo enim, si Deus indidit nobis cujusque notionis ideam, in omnibusne indidit unam, eandemque;

an diuersam ? Si eandem, cur v. g. circa siderum genituras, circa sphęrarum orbes, circa vacui contingentiam opinamur nos tam varia, imò etiam contradictoria ? Sin verò diuersam; ergo aut mihi erroneam indidit, & veram tibi, aut è contra. Dicis ingenuisse omnibus rerum imagines, & quidem veras. Cur ergo, inquam ego, Scotus tam egregiè diffidet à S. Thoma circa materiam ? quantitatem ? mixtionem ? formam ? accidentia ? Equidem errat alteruter. Dicis etiam, diffidere inter se Doctores, quia ideas cogitatu suo vitiant. Ergo (addam ego) excogitant ea, icones non habuere inditas; & sic tam hi, quàm cœteri auctores nouam scientiæ ideam sibi condere poterunt. Imò velim dicas, an sibi à Deo inditæ numero sint arguitiones istæ, quibus me aggrederis. Hoc si est, nimis egenum habuisti donatorem.

DIS-

DISQVISITIO SECUNDA.

Vtrùm ſcientia eſſe queat in intellectu cum habitu, ſive actu fidei, & opinionis.

PRo intelligentia ſciendum hìc ſtatim eſt, quid ſit opinio, & fides; nam de ſcientia dictum ſatis. Ea igitur eſt quidam aſſenſus circa objectum, ſed cum metu partis aduerſæ; ut v. g. iſte actus; *citò Creta dedetur Venetis*, vocatur opinio, quia mens ita rei aſſentitur, ut nihilominus de hac eadem extimeſcat. Et hìc nota, poſſe formidinem eſſe, aut in radice, aut in actu. In actu eſt, quoties verè formidat mens: In radice autem, quoties non actu timet; veruntamen adhæret objecto languidè, ac tenuiter.

Fides verò eſt aſſenſus circa rem ob dicentis teſtimonium, & auctoritatem. Itaquè ſi credam v. g. eſse Romam, quia Petrus hoc dixit, actus iſte vocatur fides, & diſcrimen habet ab opinione; quia hæc gerit motiuum aliquo modo cum re connexum; Fides verò nonniſi extrinſecum,

Porro utraque differt à ſcientia; quia opinio eſt incerta, & fides obſcura; ſcientia evidens, & certa

Deinde notetur, & ſcientiam, & opinionem, & fidem ſumi aut in actu, aut in habitu. Habitus eſt ſive facultas ut ajunt acquiſita ex renovatione actuum; ſive combinatio cognitionum, qua fit anima eruditior ad exercitium; ſive tandem virtus à Deo infuſa, ut prima radix quarumcunque actionum. E contra dicitur actus eſſe ille, in quem habitus exit, quotieſcunque agit cum potentia. Jam quęritur, an ſcientia, fides, & opinio tam in habitu, quàm in actu, eſſe ſimul circa idem objectum queant.

***

CON-

CONCLUSIO I.

De uno, eodemque objecto esse possunt simul in mente scientia, fides, & opinio quoad habitum.

PRobatur. Christianus enim Philosophus habet fidei habitum, quo paratus est ut credat esse Deum. Rursus inest eidem habitus etiam scientificus, quo novit ostendere hoc ipsum, erutis argumentis à creaturis. Demum gerit & opinandi habitum circa Dei existentiam, eò quia consuevit uti rationibus (etiamsi tenuioribus, & non æquè firmis) ad hoc arguendum.

Confirmatur. Nam habitus Fidei non tollit habitum scientiæ; imò neque hic habitum opinionis: ergo manebunt in mente omnes circa idem objectum. Convinco antecedens, quia Philosopho converso inditur habitus fidei circa existentiam Dei: at hic non destruit cæteros; alioquin nec opinaretur, nec Dei existentiam scientificè ostenderet; ergo &c.

Confirmatur 2. in Christo Domino, in quo habitus infusi non excluserunt acquisitos. Dicitur enim quòd *crescebat ætate, doctrina, & sapientia*.

CONCLUSIO III.

De uno, eodemquè objecto possunt esse simul actus scientiæ, fidei, & opinionis.

PRobatur ex doctrina jam habita. Si enim adesse possunt in mente habitus; ergo & actus. Deinde sic. Idem obiectum subesse potest motivo fidei, opinionis, & scientiæ: sed mens ei adhærebit ob hæc tria motiva; ergo exibit in actum scientiæ, fidei, & opinionis. Major est certa, & manifestiùs constabit ex consequentibus. Minorem ostendo. Nam si Deus v. g. exhibeatur mihi ex testimonio, sub hoc motivo creditur: si ratione topica, eidem assentior sub hoc secundo: Si argumentis evidentibus, etiam sub tertio cognoscitur à me Deus. Ergo feror in Deum ex triplici motivo. Sed tunc educuntur tres actus, fidei, opinionis, & scientię; igitur &c.

Pro-

Probatur 2. Phylosophus non quiret emittere actum fidei circa Dei existentiam, nec emereri unquam, si omnes isti actus esse unà non possent. Hoc absurdum est; ergo &c. Convinco maiorem; quia ex adversariis nequit attingi actu fidei objectum, quod certò, & manifestè scitur: sed Philosophus certò, & manifestè scit Dei existentiam; ergo eam credere Fide non potest. Neque dicas, Philosophum quamdiu credit, non habere scientiam circa Deum. Contra enim est, quia objectum, quod scitur, continuò scitur, quandiu excitatur imago ejus, aut species.

* * *

CON-

CONCLUSIO III.

Potest idem actus esse simul fidei, scientiæ, atque opinionis.

PRobatur, quia in arbitrio est assentiri objecto ex trino motivo; ergo idem actus erit fidei, scientiæ, atque opinionis. Ostenditur antecedens. Nil enim vetat, quominùs adhereat quis huic objecto, *anima non est morti obnoxia*; & quia hoc docet fides; & quia id congruenter arguit; & qnia novit ex medio scientifico. Consequentia currit. In eo enim casu penderet actus à motivo dicti, & sic esset fides; à motivo rationis, & sic esset opinio; à motivo evidenti, & sic esset scientia. Confirmo; quia unus, idemque actus, eòquod in objectum feratur diversum, & est practicus, & meditativus. Ergo &c.

Conf.2. Siquis .n. dicat v.g. sic. Luna sub Sole non tegit ipsum totum; Luna in sacra Genesi vocatur *luminare minus*; Luna meat infra Solem; Ergo Luna est minor Sole: Rogo; ista

ista conclusio estne unus, & indistinctus omnino actus?

Non negas, quia revera est unica, & indistincta unio extremorum. Sed iste actus oritur à motivo scientiæ, quod erat (Luna non tegit Solem) ergo est scientia. Sed etiam oritur à motivo Fidei, quod erat (Genesis testimonium) ergo est Fides vera. Sed oritur à motivo quoquè opinionis, quod erat (meat infra Solem) ergo nequit negari esse opinio; & sic unum, eundemque actum juremerito dicimus, & scientiam, & fidem, & opinionem.

Obiicitur 1. contra secundam conclusionem. Fides obscura est, opinio incerta; ergo nequeunt esse unà cum scientia, quæ manet evidens, & certa. Probatur, quia evidentia, & obscuritas; certitudo, & incertitudo, quæ sunt contradictoria, essent simul.

Distinguo antecedens. Opinio est incerta, & fides obscura negativè, hoc negatur; positivè, conceditur. Similiter nego ad confirmationem. Itaquè cùm dicitur Fides obscura, non est sermo de obscuritate, quę sit vera, & omnimoda negatio evidentiæ, ut sunt v. g. tenebræ quoad lūcem; sed fit sensus de minori evidentia. Unde à S. etiam Petro Fides vocatur

catur *Lucerna lucens in caliginoso loco*; & Isaiæ 9. dicitur, quod *habitantibus in regione mortis lux orta est eis*, nempè fides. Ita quoquè incertitudo non est mera certitudinis negatio, sed minor, ac tenuior certitudo; & sic erunt in mente cum scientia simul.

Obiicitur 2. In eodem subjecto nequeunt esse uno, eodemque momento lux magna, & parva; ergo nec Fides cum scientia. Confirmatur, quia exigua fax non agit in aerem, si à die jam irradietur; ergo nec fides illustrabit mentem, ubi scientia nitet.

Nego antecedens. Nam una, eademquè pars in aere, ubi dies lucet, sumit etiam ab exigua face nitorem, ut experientia convincit, & constabit in physicis. Ad argumentum dico; etiamsi aer non irradiaretur magis ab exiguà face, non conuinci quidquam contra nos. Fides enim, tametsi adinueuiat in mente majus lumen scientiæ, adhuc & ipsa verè agit, quia eam in diverso genere irradiat. Patet hæc veritas in Christo Domino, qui ex fidei actibus merebatur erga Patrem, etsi nunquam de illo sopitam scientiam haberet.

Obiicitur 3. Sequeretur unum, idemque objectum esse clarum, atque

que obſcurum ; certum quoquè , ac incertum . Rurſus : mens eidem firmiter adhæreret ob ſcientiam ; ac tenuiter , ſeu hæſitanter ob opinionem . Sed hæc dicere, abſurdum eſt ; ergo &c.

Diſtinguo antecedens . Foret clarum , & obſcurum reſpectu diverſorum , concedo (ſi tamen fiat ſenſus de obſcuritate non negativa , ut diximus) Igitur advertendum eſt, non attingi objectum ut in ſe jacet ; ſed quatenus diverſo motivo jam ſubeſt . Prout ergo ſub motivo a. exhibetur clarè ; obſcurè autem ſub motivo b. ; certum ſub c. minùs certum ſub d. ; ita reſpectu diverſorum diverſimodè cognoſcetur . Adeſt argumentum in viſione , qua unum, idemquè objectum attingitur ut maguum , & ut paruum , eò quia diverſo etiam medio circumueſtitur . V. g. ſi duobus utamur vitris, convexo , & concavo , videbimus turrim D. Marci , & magnam , & parvam . Nam conuexitas vitria a. diſgregat imaginem turris , & cavitas vitri b. magis adſtringit . Ex quo turris eadem cernitur tam diverſa, & ſibi non conſtans. Ita etiam ſi res adſit ſub motiuo fidei, per hoc attingitur obſcurè ; ſin verò ſub motivo ſcientiæ, manifeſtior eſt .

Obii-

Obiicitur 4. Fides ex D. Paulo dicitur esse de non visis; ergo nequit sciri obiectum, de quo sit fides. Convincitur auctoritate D. Gregorii; nam de S. Thoma, qui digitum in Christi latus immiserat, hęc habet. *Aliud vidit*, hoc est hominem; *aliud credidit*, nempe Deum. Ergo quod videtur, aut scitur, credi nequit per fidem.

Nego consequentiam; & dico, verè fidem esse de non visis. Nam actus, qui tantùm fides est, nunquam clarè attingit objectum, quia pendet à motivo non evidenti; etiamsi ex diverso motivo cognosci evidenter omnino queat. Ad argumentum ex D. Greg. dico, referri ab eo quod verè tunc accidit. D. enim Thomas vidit hominem, & credidit Deum. Ex hoc tamen non bene arguis, quòd res una, eademquè sciri non possit, & simul etiam credi, quoties & motivo sciendi, & motivo credendi subesset. Quamobrem si etiam Christi humanitas, quæ videbatur, ac tangebatur, exhibita fuisset sub Divino testimonio, eam Sanctus Thomas æquè bene credidisset.

Obiicitur contra tertiam conclusionem. Si unus, idemquè actus foret scientię, opinionis, & fidei, esset

esset evidens, & obscurus; certus & incertus; meritorius, & non meritorius. Præterea. Scientia cognosceret objectum obscurè; Fides clarè; Opinio certè, atque constanter. Rursus: nequit una, eademquè natura esse v. g. homo, canis, & bos. Igitur nec idem actus, opinio, scientia, & fides; quia hæc omnia sese invicem negant.

Distinguo ad primum. Actus idem foret evidens, & obscurus; certus, & incertus; absolutè in se, hoc nego: secundùm quid, aut scindendo motivum à motivo, conceditur. Sciendum igitur est, quòd unus, idemquè actus diceretur fides, opinio, ac scientia, quia contingeret sub motivis fidei, scientiæ, atque opinionis. Ergo si eum excogites ut ab omnibus dependentem, revera evidens, & certus est; nam ea inter motiva unum adest, à quo evidentiam sumit, ac certitudinem. Sin verò eundem consideres cum præcisione, seu quatenus fit sub motivo fidei tantùm, ut sic manet quidem obscurus, hoc est minùs evidens; at verò ex hoc non bene infers, quòd absolutè habeat in se obscuritatem. Etsi enim sub unico motivo fidei esset hujusmodi; attamen ex novo motivo scientiæ adhuc etiam

evi-

evidens manet. Argumentum habemus in anima, quæ à gradu vegetandi non sentit quidem, nec à gradu sentiendi ratiocinatur (revera enim quatenus vegetativa tantùm, non est sensitiva, & ut sensitiva tantùm, non habet rationem) attamen absolutè ratiocinium habet.

Dico 2. quòd scientia, quæ simul est opinio, & fides, non attingit objectum obscurè, ac incertè: non enim fertur in illud ut tantùm fides, neque ut opinio tantùm; sed etiam ut scientia est, sub qua ratione cognoscit rem certò, ac evidenter. Similiter fides, & opinio in dato casu esset cognitio evidens, ac certa, quia non foret opinio tantùm, & fides tantùm; sed scientia etiam. Eo igitur modo, quo anima vegetatiua in homine ratiocinatur, quia non est vegetatiua tantùm; sic fidei actus cognosceret evidenter objectum, quia esset quoquè scientia, & non esset fides tantùm.

Dico 3. repugnarè, quòd una, eademquè natura sit homo, bos, &c. Nam homo innuit differentiam rationis tantùm; & bos virtutem mugendi tantùm: Non tamen repugnare naturam, quæ cùm sit in se una, tri-

trinam tamen gerat differentiam, & in tertia quadam ſpecie conſtituta tribus inuicem diſtinctis æquiualeat. Ita revera non deeſt homo, qui & vegetatiuus, & ſenſitiuus, & diſcurſiuus eſt; quamquam nec dicatur arbor, quæ tantùm vegetat; nec brutum, quod ſentit tantùm; ſed tertium quid, in ſe gradum vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi omnino habens. Ita etiam actus, qui foret ſcientiæ, opinionis, & fidei, non eſſet obſcurus; nam obſcuritas accidit actui, qui eſt fides tantùm: Iſte verò & fides, & opinio, & ſcientia jam eſt.

Dico etiam, non eſſe inconveniens dicere, hujuſmodi actum fore obſcurum, & evidentem ratione diverſorum. Revera enim ut ex motivo a. geret obcuritatem, ut ex motivo b. evidentiam. Eo arbitror modo, quo v. g. ſi duo vitra mihi hęreant, rubrum, ac viride, unico viſionis actu intueor objectum, viride, ac rubrum. Imò ſicut ſi duę formę, auri, & argènti eidem ineſſent materię (quod ex virtute Divina contingere poteſt) materia eſſet aurum, argentumque ratione diuerſorum; ſic omnino idem actus quoad motiva diverſa maneret euidens, & ob-

obscurus, quamquam absolutè considerata gereret euidentiam. Quero te ad hujus rei argumentum. Da tu homini egeno, & quia vouisti, & quia Deus jubet, & quia etiam amas proximum. Quid tunc? Hic certè actus ob tria motiua erit voti, obedientiæ, atque charitatis. Ergo tam bene qui est Fides, quibit esse scientia, & opinio. Nam ut sit hujusmodi, satis erit, si ex trino motiuo extrinsecùs concurrente oriatur.

Obiicies tandem. Fides naturà suà, & essentià obscura est: igitur nequit & scientia esse indistinctim. Constat antecedens: nam sine obscuritate interit omnino Fides.

Nego antecedens. Et ratio est, quia Fides non gerit obscuritatem essentià, sed exigitivè tantùm. Quod autem exigitur, nonnunquam ab extrinseco impeditur. Et sic quia motiuum euidens concurrit cum obscuro in eodem actu, sequitur ut actus amittat obscuritatem, quę ab euidentia unius motiui subtrahitur. Do instantiam. Natura humana, ubicumque sit, exigit habere suimet subsistentiam, sivè hypostasim. At verò si ea uniatur Divinæ, statim amittit quod exigit, manens tamen natura humana. Ita etiam in re nostra equidem actus Fidei exigit obscu-

curitatem; ſed quia unitur motiuo euidenti, ſub quo educitur, eam deſinit habere, non deſinens tamen eſſe Fides. Ratio eſt, nam iſta non conſtituitur in eſſe Fidei ab obſcuritate (obſcuritas enim eſt quid merè conſequens, & exigitum) ſed à motiuo. Cùm ergo ſint duo motiua, Fidei, & ſcientiæ, idem actus & eſt Fides, & ſcientia, nec gerit obſcuritatem. Inſto rurſus. Nonne anima vegetatiua, quę naturà ſuà eſſentiàque conſtituit vegetatiuum, exigit conſtituere arborem, & ſenſitiva brutum? Hoc tamen in homine non ſequitur ob rationalitatem. Id ergo ipſum contingit in Fide, cui à gradu ſcientiæ ſubtrahitur obſcuritas, quanquam exigita. Nec dicas, ut antea, hinc ſequi, ut bos etiam queat eſſe homo, canis &c. Non enim hoc bene dicitur. Et ratio eſt, quia bos aſſumitur ut contractus ad eſſe bouis tantùm, ſeù cum tota differentia etiam individua; homo cum tota ſua etiam, & canis quoquè cum hac ſüa tota: in quo caſu bos nequit eſſe homo, nam hę differentię numquam erunt idem. Ita ſi etiam actus Fidei ſumeretur cum tota ſua differentia, qua dicit obſcuritatem, non erit umquam ſcientia. Sed tamen adhuc ſtat, ut non repu-

gnet

gnet natura, quædam tertia, quæ habeat virtutem latrandi, mugiendi, ratiocinandi; ea omnino ratione qua in nobis anima humana est vegetatiua, sensitiua, discursiua, quam quam non sit arborea, nec ferina quia hoc ei subtrahitur à gradu rationis, cum quo habet identitatem. Fides igitur est etiam scientia, quia duo habet motiua, quibus ita constituitur; non tamen est obscura, nam consequens hoc ei subtrahitur. Sicut ergo in Christo quia natura humana caret verà sui subsistentià, non constituit personam, & adhuc tamen perseverat esse natura humana; ita fides etiamsi amittat obscuritatem, non cessat esse vera fides. Imò sicut Persona Divina est simul Divina, & humana; sic unus, idemque actus est identicè scientia, & fides; quin etiam opinio, si tertium adsit motiuum, sub quo emittatur, ut ab initio dicebamus. Hac ratione Christus, qui Patrem suum sciebat, & intuitivè videbat, etiam actu fidei credebat.

Quoniam verò scientia omnis, & quidquid inest menti, solet indicari beneficio vocum, ut hic seruetur æconomiæ nostræ ordo, sermo etiam de vocibus institui debet, quarum bono usu animi sensa communicamus.

DIS-

DISPVTATIO ULTIMA

De Vocibus.

TRia hoc loco mos est agitare circa voces. Quid sit vox. Utrùm naturà significet, an ex hominum arbitrio. Debeatne dici rerum index, an conceptuum.

DISQUISITIO PRIMA.

Quid sit vox.

PRo intelligentia huc statim adducenda est vocis definitio ex Arist. 1. Periher. cap. 1. *Vox est signum earum, quæ sunt in anima, passionum*. Signum dicitur ut genus: cœtera verba innuunt differentiam.

Porro signum vocatur, *quod ultra speciem sui, quam ingerit sensibus, quid etiam aliud in cognitionem adducit*. Quæ definitio à S. Aug. 2. de Doct. Christ. colligitur.

Sed tamen non cuique signo conuenire videtur. Enimuerò signum abit in duplex. Unum est cognitio mentis, quæ non cognita, objectum tamen à se distinctum reuera exprimit. Secundum est omne instrumentum, quod cognitum, ad noua quoquè attingenda nos ducit; & isti congruere magis videtur signi definitio.

Uerùm & hoc bifariam secernitur. Primum dicitur signum à natura; secundum ex arbitrio. Signum à natura est, quod ratione connexionis cum re, ducit in ejus cognitionem, ut fumus quoad ignem. Signum ex arbitrio non habet cum re connexionem, nisi quia homines ita voluerunt. V.g. corona signum est dignitatis Regiæ ad arbitrium, quia gentibus visum ita est, ut hoc insigni ostendant Regem.

Præterea est omnino aduertendum, duobus modis assumi signum; videlicet *in actu primo*, & *in actu secundo*. Signum in actu primo dicitur, cùm ex intentione adhibentis illud satis est ad significandum, etiamsi ob ignorantiam ejus, cui exhibetur, actu non significet. V.g. voces à Turca editæ, quoad me, qui ejus idioma non calleo, sunt signum in actu primo; nam reuera ex intentione fantis idoneæ sunt

ut

ut significent; ex meo autem defectu nullam actu gerunt significationem. Quòd si actu significarent, jam essent signa in actu secundo. Hisce jactis, oritur

DISQVISITIO SECUNDA.

Sintne voces naturalia signa.

PRo intelligentia sciendum est, non unius generis esse vocem. Prima enim oritur ex varia motione organorum, & vocatur formata, quæ potest etiam notari, aut exscribi, ut *homo*, *arbor*, *aurum*. Secunda vocatur informis, estque sonus quidam omninò inconditus, qui exit à potentia, neque chartà, siue atramento unquam notatur; ut *suspiria*, *gemitus* &c. Hæ voces, ut manifestè constat, signa sunt naturalia, unde inter omnes Gentes notæ sunt non obscuræ affectionum. Quod attinet ad primas, excribatur

CONCLUSIO

Voces non sunt naturæ signa, sed ex placito.

PRobatur 1. auctoritate Arist. qui 1. Perhier. cap. 1. dicit, nomen & verbum esse voces ad arbitrium. Deinde ratione; quia si voces naturà suà significarent, apud omnes gentium nationes eædem forent: hoc non contingit; ergo non significant naturà. Major constat, quia signum naturale idem est ubique nationum, ut patet in fumo ad ignem; in gemitu ad animi angorem; in tonitru ad nubem &c. Ergo si voces naturà suà significant, ipsæ quoquè inter omnes eædem forent.

Probatur 2. Nam si voces naturalia sunt signa, unusquisque caperet omne idioma, Francicum, Turcicum, Arabicum: sed hoc non contingit; ergo &c. Major est certa. Non enim est, quem naturale signum non ducat in cognitionem rei ab eo significatæ, ut experientia convincit. Sic ex risu cognoscit unusquisque animi gaudium; ex rubore

bore motionem cordis &c. Igitur si & vox naturà suà significat, omnes deprehendent, quid sub ea intelligatur, & sic omne idioma tenebunt.

Probatur 3. quia vox non gerit cum re significata connexionem; ergo dici nequit signum esse naturà. Probo antecedens. Nam quæ connexio hujusce vocis *Camæleon* cum bestia tam parva, ut ne vix digito commensuretur? Quid inter hunc sonum, *magnes*, & saxum, quod trahit ferrum, quodquè sinit se trahi ab astro?

Obiicies 1. Vocibus quædam inest virtus etiam naturà suà, qua incantatores, & Magi nubes inducunt, accendunt fulgura, cient tonitrua &c. Ergo naturà significant. Currit consequentia; nam hæ cùm proferuntur, habent effecta.

Nego consequentiam. Enimverò scimus, omnia ista contingere interventu Dœmonum, qui ex condicto miscent activa passivis, effectusquè omnino mirandos emittunt, quotiescumque ab hominibus hæ voces, & hæ pronunciantur.

Obiicies etiam. Protoparentes nostri loquebantur ad inuicem; ergo usi sunt vocibus naturà suà significa-

tivis. Nec enim potuere ab alio edoceri, aut invicem conuenire, significando, & statuendo voces, nisi usu vocum, quæ antecesserint.

Nego consequentiam. Ratio fertur à D. Augustino, qui 8. Gen. 16. ait, primum sermonem, quo Adam, & Eva collocuti sunt, fuisse iis à Deo inditum. Mox eo instructi, omnes, quæ subsecutæ sunt voces, invexere ipsi, facta inter se conventione ad significandum.

***

DIS-

DISQVISITIO TERTIA

Vocesne immediatè significent conceptus, an res.

PRo intelligentia sciendum est, voces fuisse ab hominibus usu inventas, ut bene Plato in Timæo, ad sensus animi detegendos; & hoc etiam ab Aristot. jam deduximus. Nam eòquod animus corpore nostro tanquam carcere coactus, exire nequit, seu detegere se, aliquo indiget externo signo, ut quid intra sentiat de rebus, manifestè ostendat. Hinc D. August. 2. de ord. cap. 12. ajebat. *Ratio docuit homines, ut quoniam animos suos sentire non poterant, ad eos sibi aperiendos, sensu interprete uterentur*. Quamobrem & lingua dicta fuit ab Horatio, animorum interpres. Contra verò Supernæ mentes non egent vocibus, quia sat habent, si desiderent sese ostendere, ut quidquid in mente gerunt, omnino manifestent.

Ex his apertum est, voces duo significare; nimirum res, quarum imagines excitant; & sensus quo-

què animorum. Constat hęc veritas, quia v. g. si dicam: *Christus mortuus est*, hæc sanè verba significant Christi mortem. Præterea ex hisce vocibus arguit etiam unusquisque me de Christi obitu habere sensum, & cognitionem. Cognitio ergo dicitur verbum cordis: Vox autem ad hoc foras emittendum, vocatur verbum oris.

Hinc itaque oritur difficultas; voxne significet immediatè animi sensum, sive conceptum; an res. V. g. cùm enunciatur vox ista *homo*, significat immediatè naturam hominis, an verò cognitionem in mente loquentis efformatam?

Ut controversia decidatur, necessum omnino videtur, vos moneri hæc duo. Alterum est, voces quidem substitui cognitionibus, & earum vice poni, ut manifestent objecta, quæ ab iis intra mentem constitutis ostendi nequeunt. Alterum, quòd voces adhibitæ sunt ad rem ei, cum quo discurrimus, manifestandam; non ita nobis, qui ante discursum habemus eam satis cognitam, & manifestam. V. g. cùm dico: *Christus est mortuus*, hæ voces non adhibentur à me, ut mihi adsignificent Christi mortem. Ea siquidem supponitur ante cognita, quàm ego lo-

loquar. Sed ei tantùm ſignificant, cum quo habeo ratiocinium, & cui Dominicæ mortis excitare ſpeciem deſidero. Hiſce adnotatis, arridet nobis

CONCLUSIO

Voces immediatè ſignificant res, mediatè verò, & argui-tivè conceptus.

OStenditur primum quia vox immediatè ſignificat ea, quorum immediatè imaginem excitat: ſed immediatè ſolas excitat rerum imagines; ergo immediatè ſignificat res. Majorem quiſque admittit. Minorem ſic oſtendo. Cùm ego vos edoceo, & v. g. dico: *aſtrum Veneris non eſt igneum*, hæc verba excitant vobis imaginem Veneris, & quòd igne non conſtet; ergo immediatè ſolam excitant imaginem rei, ſeu ſpeciem. Conuincitur antecedens, quia ex hiſce verbis unuſquiſque veſtrum immediatè cognoſcit aſtrum Veneris; & quid aliud attingat, non videtur. Ergo vobis non excitat imaginem, niſi Veneris &c.

Confirmatur, quia fortasse nullus est, qui nunc excogitet, me in mente habere conceptum rei, de qua ratiocinor; ergo vox non renunciat immediatè nisi rem.

Confirmo 2. Nam siquis v. g. inter dormiendum loquatur de re non cognita, tunc ea vox nequit significare cognitionem; ergo immediatè rem. Probo antecedens. Qui enim dormit, non attingit mente quod verbis enunciat. Quamobrem si à dormiente audias v. g. *dies est*: vox ista indicabit diem, & nihil pręterea.

Ratio autem est, quia voces, ut jam innuimus, inuentę sunt ad hęc duo significanda; mentem loquentis, & quoquè rem, circa quam sermo contingit. Cujus ergo immediatè suscitabit speciem, id etiam immediatè significabit. Verùm, ut ostendimus, non suscitat immediatè, nisi rerum imagines; ergo has immediatè significat. Probo; nam vox v. g. *canis* non renunciat cognitionem, sed reuera canem; vox *magnes* non refert conceptum, sed omnino magnetem &c. Ergo voces immediatè suscitant rerum imagines.

Fundamentum est, quia vox non est

est signum loquenti, sed tantùm audienti; ergo qui audit, rogandus est, quid per vocem immediatè cognoscat: cùm itaque cognoscat immediatè rem, dicendum manet, rem esse id, quod immediatè significatur.

Probo & secundam assertionis partem. Si enim quis audiat me dicentem, sanè arguit inesse mihi de re, quæ in discursum venit, apprehensionem. Enimuerò dum sermocinor, non id casu efficio, neque ut solet Echo *vocem sine mente gero*. Qui ergo audit, bene in me arguere potest esse mentem, siue cognitionem circa rem.

Obiicitur 1. ex Arist. 1. Perhier. 1. Voces earum sunt notæ passionum, quas habet anima; ergo immediatè significant cognitiones.

Nego consequentiam, & distinguo antecedens. Earum sunt notæ cognitionum, quas habet anima, ex intentione dicentis, transeat; in audiente, hoc nego. Seu subdistinguo. Sunt notæ cognitionum arguitiuè, transeat; immediatè, hoc negatur. Eatenus enim dicuntur notæ cognitionum, quia loquens hoc etiam detegere intendit, quod gerit animo. Cęterùm qui audit, rem

immediatè attingit, & arguitiuè mentem dicentis. Aut etiam distinguo sic: Sunt cognitionum notæ objectiuarum concedo; formalium, negatur. Cognitio autem ut objectiua, dicit rem, siue objectum, quod cognoscitur, & isti, non meræ cognitioni substituitur vox.

Obiicitur 2. Vox rem significat, sed ut cognitam; ergo immediatè significat cognitionem. Constat antecedens, quia loquens rem priùs attingit mente, quàm ore significet.

Nego consequentiam. Ad argumentum dico, negari posse antecedens. Nam v. g. vox in dormiente, in infante, in idiota orante, absque dubio indicat res, quanquam ab eis cognitæ non sint. Secundò etiam distinguo. Significat rem ut cognitam reduplicatiuè, hoc nego; rem, quæ cognoscitur à dicente, hoc transeat. Ergo immediatè significat cognitionem, negatur. Vox ergo indicat rem, quę fortasse cognoscitur à loquente, sed non quatenus cognoscitur. Quamuis enim is non haberet cognitionem rei, adhuc tamen vox rem significaret audienti, ut diximus. Dummodo verò ei, qui audit, excitet imagines rerum,

nihil

nihil videtur interesse, an qui dicit, habeat rem, an non habeat cognitam.

Obiicitur 3. Vox id significat immediatè, cui substituitur: at substituitur conceptibus; ergo istos immediatè significat. Major est certa, & confirmatur. Quia enim scriptura substituitur loco vocum, immediatè significat voces. Ergo cùm vox æquè bene substituatur cognitionibus, immediatè significat cognitiones.

Nego minorem. Reuera enim vox ponitur vice rerum, quas audienti manifestare intendimus. Ad confirmationem dicò 1, scripturam excitare in audiente imagines rerum, non vocum ejus, qui exarat. Quamobrem siquis legat v. g. Buduam à Germanis obsidione captam, siue victum à Venetis Turcam, non is vocem ejus, qui exarauit, confestim attendit; imò Buduam, Turcamquè cæsum immediatè cognoscit. Dico tertiò, voces non substitui cognitionibus quoad eum, qui audit, verùm rebus tantummodo; & hinc sequi, ut audienti res immediatè significentur. Dico quartò, vocem significare immediatè rem, etiamsi diceretur immediatè substitui

con-

conceptibus; nam excitat in eo, qui audit, immediatè rem. V. g. si Prorex substitueret sibi Marchionem aulicum, certè hic marchio significaret immediatè Regem, etiamsi à Prorege esset substitutus. Ita vox &c. Et ratio est, nam vox substituitur cognitionibus, ut faciat quod istæ prestant. At cognitiones immediatè significant res; ergo &c.

Obiicitur 4. siquis legat singrapham græco exaratam idiomate, ipse verò græcam ignoret, certè non attinget res, quæ subsunt verbis. Ergo singrapha non res adsignificat, sed voces. Quemadmodum ergo significat immediatè voces, quia substituitur vocibus; ita vox immediatè cognitionem, quia cognitioni substituta est.

Nego consequentiam; & dico, nos non esse in casu. Questio enim est: Cùm scriptura duo significat, rem, atque vocem, signrficatne immediatè illam, an verò istam? Dico ergo tunc significari à scriptura immediate rem, & mediatè vocem. At in dato jam casu, quia reuera non significatur nisi unum, scilicet vox, non est mirum, si hæc immediate significetur. Præterea distinguo consequens. Ergo singrapha non signifi-

cat

cat immediatè rem in actu primo, negatur; in actu secundo, transeat. Ratio est; nam qui legit, si res ignorat, hoc non oritur ex vitio singraphæ, quasi ea non significet immediatè res; verùm ex defectu ejus, qui Grecam non callet.

Obiicitur 5. Si voces immediatè non significarent conceptus, nullum esset mendacium. Ergo &c. De antecedenti manifestum est. Dicitur enim esse mendacium, quoties per vocem ostendimus, habere nos in mente, quod reuera in mente non est. Unde qui mentiuntur, eos ire contra mentem dicimus. Itaque voces immediatè significant mentem, seu conceptum.

Nego antecedens. Et ratio est; nam sive immediatè, seu mediatè significetur à voce conceptus, quicumque diversim loquitur, ac habeat in mente, is verè mentitur. Ostendit enim, se ita sentire in animo, sicut ore nunciat. Cùmque id non fiat, jure merito dicitur ire contra mentem.

Quandoquidem verò sermo est de vocibus, quarum usu omnia, quæ scimus, etiam cœteris communicare solemus, video quàm bene contingeret, si Ethicorum doctrina, quæ nos in

in nostri cognitionem adducit, meis Auditoribus hìc traderetur. Ab ea tamen abstinere, utut inuitus, omnino debeo: & quidem hoc non sine Aristot. monitu, qui satis edixerat in Ethicis 1. cap. 3. Juvenes non esse ad hanc rem idoneos: fortè quia humanæ vitæ actiones adhuc ignorant. Non enim ea me ratio ab hoc instituto removit, quam idem Auctor subdit; quòd nimirùm Juvenis Auditor *consequitur conturbationes*. Etenim novi ego, quinam hi sint, quos habeo instituendos, æquè ortus nitore, ac morum sanctitate commendatissimos. Ita sanè, ut vobis ea deberi sentiam, quæ D. Bernar. epist. 24. in encomium Juventæ aureis fermè characteribus exaraverat. *Multos juniorum videmus super senes intelligere, ac moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus*. Igitur cùm scientia morata non in cognitione, sed in actione vitæ tota sit, video me ab ea cura esse liberum, ut ejus axiomata vos edoceam, qui documenta omnia tantà viuendi honestate anteuenitis.

Rem ergo Physicam hìc statim aggredi mens est; nimirum ea, quę

quæ ſtudia veſtra erudiant magis, ut Naturæ totius conſcii, & *quid homo ſit*, bene intelligentes, cæptæ jam vitæ normam confirmetis.

In quo arbitror, mihi me non deeſſe, ſi eam vobis Doctrinam adornem, quę ſana magis, & veritati conſona doctioribus viſa eſt. Juvat enim vehementer ad ſuimet cognitionem, ſcire quid effecerit Deus, ex quo nos quantum debeamus Auctori Noſtro tandem ſcimus.

Quemadmodum verò Timotheus Cythariſta majorem ab iis exegit mercedem, qui malè cytharizare didicerant; ea ductus ratione, quòd eos, & pravo exuere habitu, & rurſus erudire bono teneretur: ita majoris ego ſtudii veſtri exactor fiam, quos non ſinam vanis imbui ſententiis, ne tandem quæ didiceritis, ea mox dediſcere debeatis.

Dum igitur Logicæ noſtrę quieſcit curſus, agite N. N. ne quis veſtrum à cura diſcendi quieſcat. Diſcet autem, ſi hoc denique non ignoretur: quidquid exigua mens noſtra molita eſt, hoc to-

tum

tum Deo, Beatæ Virgini, nostrisque Custodibus esse omnino devotum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.